MEDICUS CONSULTANS,

SIVE

DE EDICTIS IMPERATORIIS, REBUSQUE AD PRÆSENTES IN BELGIO QUÆSTIONES PERTINENTIBUS

COLLOQUIA FAMILIARIA,

INTER

Theophrastum Medicum
& Valentinum Theologum,
Belgas.

Utile, quod non vis, do tibi conſilium.
Martial. Epigr. Lib. 5.

ALETHOPOLI,
Typis Hylarii Sinceri, in Platea Recta
sub Signo *Candoris*, anno 1786.

Cum Approbatione Publica.

9671

TYPOGRAPHI MONITUM
AD
LECTOREM.

QUæ nunc edo in publicum Colloquia, talia mihi viſa ſunt, judicataque à Viris doctis, ut non ſinè fructu legi à Theologis, hominibuſque literatis, valeant, Quod ut facere illi poſſint tantò commodiùs, nihil antiquius habui, mox atque exemplar eorum manu ſcriptum nactus ſum, quàm typis meis illa ſubjicere. Condonabit verò benignus Lector, ſi in limatiſſimo cæteroqui ſcripto menda quædam typographica offendat interdum: abſente ſiquidem, atque etiam incognito Auctore, mihi-met-ipſi de editionis correctione fuit laborandum. Cæterùm nihil adjeci, dempſive, de Operis bonitate probè ſecurus. Vadem me quoque præbeo, daturum in publicum, ſi in manus meas veniant, placeantque hæc quæ nunc offero, Colloquia etiam reliqua, quæ mihi necdum viſa verſantur in paucorum quorumdam manibus.

Tu meis curis utere, & quo ſpiritu Colloquia hæc conſcripta ſunt, atque publicantur, lege.

AD MAJOREM DEI GLORIAM.

JOANNIS PII ad PETRUM Curioſum

Epiſtola.

NUper, quùm te inviſi, Optime mi Petre! multus nobis ſermo fuit de Imperatoriis Edictis, deque rebus ad utramque Rempublicam, Eccleſiaſticam & Politicam, pertinentibus. Nunc quoniam in manus fortè meas venit ſuper iiſdem rebus eruditorum quorumdam hominum, ſcriptis exaratum Colloquium, mei eſſe muneris duxi tecum illud communicare. Quanquàm enim non ignoro, vix aliquid librorum prodire in publicum, cujus ad te notitia non illicò perveniat; neſcio tamen, an de præſenti hac lucubratiuncula, cujus ad te partem nunc mitto, vel fando aliquid acceperis: hucuſque enim calamo dumtaxat deſcripta per manus aliquorum vagata eſt; digna interim viſa mihi, quam & tu legeres. Habet autem hoc inprimis ſingulare, quòd præter vigorem ſtyli, facilitatemque, vix aliquid rerum omittat earum, de quibus nunc concertatio eſt, ſtatuitque, aut ſtaturus dicitur, Princeps. Nulli Scriptor, quiſcunque ille fuit, addictus parti, neque Cleri, neque Principis, neque populi, de omnibus philoſophatur prudenter & Chriſtianè, ex certiſſimis regulis; non ductus

impetu non zelo religionis actus nimio, non gratiâ allectus, non metu cujuſquam retentus. Sermo interlocutorum liber eſt quidem, ſed modeſtus & gravis, qualem nimirum de tanti momenti rebus eſſe condecet; multâ utrimque moderatione, immò pietate, atque ergà Principem reverentiâ, condîtus. Neſcio, an hucuſque prodierit in lucem liber, qui in tam parvæ ſui mole, tam copioſa, tam varia pertractaret argumenta, methodoque tam obvia ac facili, jucunda quoque, ac permovente, allicienteque lectorem. Mox atque legere inceperis, non deſinis niſi finieris; adeò ducit de argumento in argumentum, reſque aliæ pendent ex aliis, ut penè ſe ad alia progredi non advertat vel diligentiſſimus quiſque. Colloquia ſunt inter Virum Medicum, literis probè excultum, & Theologum Presbyterum, hominem doctiſſimum, pientiſſimumque, habita familiariter, chartæque mandata deinceps fideliter, in quibus illi diſſerunt de Religioſa Tolerantia; de Impedimentis Matrimonii; de Confraternitatibus; de Capellis; de Stationibus Religioſorum Mendicantium, de Proceſſionibus; de Univerſitate Lovanienſi; de Suppreſſione Monaſteriorum; de Juriſdictione Eccleſiaſtica; de Cœmeteriis; de uſu Imaginum ſacrarum; de multitudine Sacerdotum atque Altarium; de publicandis in Eccleſiis à Clero Edictis Principis; de Exemptionibus; de Cenſuris; de Pontificiarum Bullarum in Belgio uſu ac pu-

blicatione; de Tabernis; de ratione Studiorum, inprimis Theologici; ac delectu Librorum; de Plato, Maranto, Veldio; de Neliſio & Officio Epiſcoporum; de Bulla Cœnæ & Unigenitus; *de Jejuniis ac Diſpenſationibus; de regimine Monaſteriorum, Abbatibusque Commendatariis ſeu Œconomis; de Officiis Divinis & Muſica; de Epiſtolis Epiſcoporum Paſtoralibus; de aurea & argentea Templorum ſupellectile; de Peregrinationibus religioſis; de Immunitatibus Cleri; deque aliis denique rebus variis atque utillimis: quarum alii quidem multi bonam partem jaminde pertractârunt in Opuſculis, quorum indies magna editur farrago: ſed Gallico ferè omnes ſermone, quem noſtrorum hominum multi non admodùm callent; tum & partium ſtudio adeò manifeſto, ut bonus quiſque lector extemplò animadvertat, à præjudicatis opinationibus pleroſque eorum fuiſſe animatos, inſtigatoſque, ut calamum arriperent, ſive contra Principem furioſo impetu, ſive contra Eccleſiam ſacrilego auſu; utrobiquè certè parùm ſincerè, modeſtè, piè ac religioſè. Collocutores hi noſtri agunt longè moderatiùs, ſervatâ ergà utramque poteſtatem reverentiâ. Animorum invicem ſenſa dubiaque, aperiunt confidenter & candidè, mutuâque ſe doctrinâ ac lumine juvant pulcherrimè. Non diſſimulant, ſi quid à poteſtate una, ſive altera, eſt peccatum; & ſicubi in quæſtionem offendant non adeò facilè ſolubilem, excutiunt ac verſant illam tamdiu, donec*

diſſolverint, ſeu remedium ſaltem attulerint probabile Quòd ſi tam implexam illam eſſe comcomperiunt, ut vires ſuas omninò videatur ſuperare, ultrò ab judicio ferendo abſtinent, ſuorumque luminum agnoſcentes brevitatem, excutiunt quidem eam adhuc, & explorant omni modo, quærentes qualemcunque exitum; ſed dum deficere ſe ſentiunt denique, eam relinquunt in medio, tractandam aliàs, ſive ab aliis. Sed nec in illis quidem ſermocinantur inutiliter: rei enim faciem, qualis eſt, detracto fuco, repræſentant, contemplanturque; & ſi maculas nævoſque inveniunt, quibus mederi ex integro non valeant, modos exquirunt ſaltem, quibus vitio ſua minuatur granditas, dolorique lenimentum qualequale afferri poſſit. Modò, mi Petre! ſcriptionis hujus partem dumtaxat ad te mitto, miſſurus alteram quoque, ubi integram acceperim atque evolverim. Quin autumo, tertiam etiam ſubſecuturam [ſic enim audii] quanquàm de hac adhucdum nihil vidi. Tu literarium munuſculum æqui bonique conſule & cum amicis, ſi vis, tuis, meis ſcilicet quoque, communica: modò ne abalienes. Unicum enim exemplar ejus ad me venit, illudque manuſcriptum dumtaxat, quod adeò curabis, ut poſt ejus apud te uſum ad me redeat, legendum iterum: niſi, quod futurum facile prævideo, intereà temporis typis publicam in lucem prodeat; quando non foret opus, in tumultuario charac-

tere ſcripti Voluminis pervolutione oculos, ùt ſcis aliunde multùm debiles, atterere.

Vale, &, ſi quid novi habes ad præſentes quæſtiones attinens, ad me, ùt ego quoque facio, perſcribe.

Ex PORTU FRANCO, Calend. April.
1786.

JOANNES PIUS, Polygraphus Amicorum tuorum Sinceriſſimus.

DE REBUS AD PRÆSENTES QUÆSTIONES PERTINENTIBUS.

COLLOQUIUM PRIMUM

Inter Theophraſtum Medicum & Valentinum Theologum.

Medicus. UT quid triſtem adeò & cogitabundum te video? Ubi faciei illa tua conſueta ſerenitas? Sanè quùm advenientem te proſpectarem cominùs, nunquam credidiſſem habere obviam notiſſimum mihi amiciſſimumque Valentinum. Adeò incedebas obvolutus pallio, greſſu dubio & inæquali, diducto pileo, pendente capite, oculis abjectis, madidis, atque ad lachrymas maturis. Certè nuſquam anteà talem te vidiſſe memini: ſed blandum ſemper, hilarem, comem; habitu, gravi quidem illo atque ad diſciplinæ, quam profiteris, rationem attemperato, ſed tamen ornatè decenterque compoſito; modeſtè quoque jocoſum ac facetum. Nunc quaſi ipſus non ampliùs eſſes, atque ab alearum ludo fortunam amiſiſſes totam, ſive ab Trophonii antro egrederere, rugis aratam geris frontem, nil niſi mœſtitiam, ſqualorem, torvitatem præferens. Et ubi gentium, quæſo, ſive locorum, te continuiſti tamdiu? Jam enim

menſes plurimi ſunt, ex quo inviſibilis veluti factus es, aut mihi ſaltem nullibi conſpectus.

Theologus. Quaſi ridendum continuò ſit, ac in mediis foris, compitiſque, vagari totos dies Clericum deceat.

Med. Dic, quæſo, ſi me amas, quid tibi doleat: quod infortunium, quiſve malus genius, priſtinâ omni gratiâ ablatâ, hunc tibi horrorem, moroſitatemque, injecerit. Æſculapii alumnus quoniam ſum, atque in herbaria ejus officina probè verſatus ac familiaris, non deerit fortaſſis quô tibi medear, animique & corporis præteritum robur atque vigorem faciam recuperare.

Theol. Næ! tu bonus Medicus es, qui non corporibus tantùm, ſed & animis medelam polliceare. Scilicet nunquam non tua gens ampliſſimam ſalutem ſpondet laborantibus, etiamſi ſpes ejus nulla ampliùs ſuperſit, atque altero jàm pede tumulum contingant; ut adeò noſtris hiſce diebus, quibus nulla ineptia, ſtultitiaque, ſe non prodit, alii quidem è veſtris electrico ſuccuſſu; alii (*) ſolo manuum, neſcio quâ re imbutarum, contactu (quod *Magnetiſmum animalem* vocant) ſanare credulos ægros attentent; nonnemo (*) etiam decrepitos ſenes liberare à canis ac ſenectute ſe poſſe dictitet, facereque, ut poſt attri-

(*) Meſmer. (†) Caglioſtro.

tam plurima tuſſi, vitalem animam, ſenioque ipſo ſuo jam penè congelatam, repueraſcant. Tu quidem, fateor, quam profiteris, artem ſat bene calles, exerceſque diu; fallor tamen, an malo meo, ſeu potiùs publico, afferre medicationem valeas.

Med. Sic tu conſuetos ſales in medio etiam mœrore non dimittis! Atqui tamen nôſti, & benè nôſti, me ſtultorum id genus hominum illuſionibus fidem nullo tempore adhibuiſſe, atque à ſuperſtitione qualibet, ſeu deceptione, eâque præſertim, quâ novi hi Pomponatii Helvetiique utuntur, eſſe, fuiſſeque ſemper per-quàm alienum. Ego meam operam laborantibus fideliter integrèque addicere ſoleo juxtà quod artis regulæ ferunt, ſed amicos inprimis curare ſolicitiùs ſatago, atque eorum malis, quomodòcunque poſſum, afferre levamen: habet enim hoc amicitia ſingulare, ut mutuos dolores, caſuſque, ſeu ſecundos, ſeu adverſos, communes inter amicos faciat, atque eorum quiſque ſuum eſſe cenſeat, quod alteri acciderit. Jam ergò, quoniam non rectè tecum agi video, ediſſere palàm, quidnam illud ſit, quô tibi viſcera torquentur; eſt vel in ipſa malorum, quæ patimur, narratione poſitum, neſcio quid, ſolaminis: atque ego quoque ſi non auxilium, conſilium tamen fortaſſis aliquod, aut certè ſolatium, dare potero.

Theol. Mirum, quomodò Medici ſecreta quælibet explorandi artem callent!

Med. An fortè temporum, quæ vivimus te urit calamitas? ſcio enim novarum rerum te maximum oſorem, conſuetudinumque contrà antiquarum vindicem religioſiſſimum. Et ſunt alii multi, quibus à tot politicis, Eccleſiaſticisque, innovationibus, quot in dies conſpicimus, cor penè aduritur præ indignatione ac dolore. Si meam conjectationem proferre licet, dicam, tecum quoque aliquid hujuſmodi agi.

Theol. Optimè conjectâſti, mi Theophraſte! manu licèt ad venam minimè admota. Nam ex quo crebræ illæ, ingenteſque, invectæ ſunt rerum mutationes, extincta monaſteria, pulſæ ex alveareis ſuis ſanctimoniales, profanata templa, data Acatholicis errores ſuos tenendi, profitendique, maxima libertas, conciſa Lovanienſis Academiæ privilegia, eadem ipſa minimè concors ac diviſa in partes, enimverò ex illo tempore non ceſſavi altùm ingemiſcere, ac deplorare quotidie calamitatem non tam meam, quàm patriæ univerſæ.

Med. Bonus quiſque civis plus doloris capit è malis, quæ Rempublicam, quàm quæ ſeipſum afficiant: nam quæ patitur privatus quiſquam, neque magna plerumque ſunt, neque durabilia; at quæ in communitatem ipſam ingruunt, contingunt ſingulos, & ſæpè nonniſi poſt tempus valde diuturnum, plurimamque editam ſtragem, finem accipiunt, morborum illorum malignorum, Epidemicorumque inſtar, quorum pertinaciſſimam vim dum Medicorum

nulla induſtria valet frangere, graſſantur aliquandiu liberrimè, donec tandem lues multâ cæde veluti ſatur ſponte ceſſat propriâ.

Theol. Verùm neſcio, an mala noſtra finem habitura ſint unquam, aut valeant reparari. Duraturam poſt ſe plagam relinquent. Ac tolerabilis aliquouſque jactura eſſet, ſi modò religionem ipſam non contingerent. Nunc verò quando hæc ipſa arroditur, atque adduci videtur in diſcrimen, nec ſpes eſt, futurum ut brevi res noſtræ convertantur in melius, inconſolabilis effectus ſum, mecumque adeò eſt Clerus univerſus. Atque hæc ſunt, mi Theophraſte, quæ animum meum diſcruciant, ſolitamque illi abſtulêre amœnitatem : habes enim optimè perſpectum, quàm mihi omni tempore & patriæ privilegia, & acceptæ à majoribus conſuetudines, & bonarum artium vigor, & Univerſitatis Lovanienſis gloria, ac ſuper omnia Cleri dignitas, Religioſorum Ordinum tutela, ac ſanctiſſimæ religionis decus, fuerint cordi. Nec dubito, quin tu quoque, quem conſtat, non ab artis ſolùm, quam profiteris, peritiâ, ſed à morum quoque integritate, virtutumque omnium ſtudio; tum verò inprimis ab eximia, teneraque in Deum religione ac pietate plurimùm commendari, in communi luctu partem ſumas non modicam.

Med. Non placent quidem ſingula, quæ fiunt, ſtatuunturque à Principe : ſed tamen in animum inducere neutiquam valeo, eam illi mentem eſſe,

uti Religioni, quam à parentibus hauſit, quamque unam eſſe veram ac ſanctam novit, quomodòcunque noceat. Nam centies vidimus, aut legimus certè, atque narrari audivimus, quàm in adeundis templis noſtris, diviniſque officiis, ſit ſedulus; quàm curet, ut omnia ibi decenter fiant atque integrè, omni levitate abuſioneque reſciſſa; quàm animadverti velit graviter in illos, qui immodeſtè ſe ac petulanter illic geſſerint. Et cur Beneficiorum Eccleſiaſticorum pluralitatem, Epiſcopatuum præſertim, ſeverè adeò in ſuis ditionibus prohibuit, niſi ut Paſtores animarum tantò diligentiùs ſuis quiſque gregibus invigilent, curentque adeò, non quæ ſui ſint compendii atque utilitatis, ſed quæ religionis, & ſalutis ovium ſibi creditarum, hoc eſt, quæ ſui ſunt officii, graviſſimæque obligationis? Deinde Rom. Pontifex, Caput videlicet Eccleſiæ viſibile atque omnium Fidelium Pater, quando non ita pridem ſeu Viennæ Auſtriæ ab Auguſto Principe exceptus eſt, ſeu eundem Romæ excepit ipſe, nonne præclaram ejus pietatem, *ſingularem in Deum devotionem*, præſtantiam ingenii, in rebus agendis ſtudium atque induſtriam, publicè collaudavit? An non ei Euchariſticum Panem ſuis ipſe manibus edendum porrexit? Ergò ut dicam paucis, nulla ego ratione perſuadere mihi poſſum, Principem hunc, talem ac tantum, tam probum, tam integrum, tam ergà Eccleſiæ Præſules benè affectum, & à communi Fidelium Parente tam magni habitum, immò exoſculatum aliquando in mutui amoris communioniſque teſtimonium, hanc mente cogita-

tionem fovere, ut Eccleſiæ, Religioni, Clero, Reipublicæ, nocere reipsâ velit. Reor potius, & reverà ita eſt, procul dubio, id unum illum habere ſibi propoſitum, ut decus Eccleſiæ atque augmentum, Cleri honorem, omnium denique ſalutem ac felicitatem, procuret, promoveatque pro viribus.

Theol. Atqui tamen dicebas ſtatim, pleraque eorum, quæ innovata, decretaque à Principe ſunt, à te nullo modo probari. Vide, quàm loqueris cohærenter!

Med. Hoc unum aïo, me de Supremi Legiſlatoris fine non dubitare, quin bonus ſit: ceterùm conſtat cum optima voluntate ab hominibus errari ſæpiſſimè, ſive in rebus ipſis, ſive in ratione earumdem ac modo. Sum quidem, fateor, in Theologicis diſciplinis parum ac perquàm modicè verſatus; ut adeò de hiſce rebus, quæ ad eaſdem ſpectant, judicium ferre non expeditè valeam. Hyppocrates noſter atque Galenus de illis nihil tradidêre, aut tradere etiam potuêre: ſed non opus eſt, reor, eſſe magnum Theologum, ut quis intelligat, de Principibus, utpote à Deo ad gubernandos populos conceſſis, ſemper opinandum, loquendumque, eſſe bene, niſi manifeſtis erroribus, injuſtitiiſque ſe addicant; quod ſi faciunt, tunc quoque eorum, quantùm poteſt, excuſanda ſaltem intentio eſt, cùm parentum nemo cenſendus ſit malè velle ſuis filiis, ſintque Principes ſubditorum ſuorum patres. Memini autem legiſſe in ſacris quoque Voluminibus, Principibus

non eſſe maledicendum, obediendumque eſſe ipſis, licèt dyſcolis.

Theol. Neque ego, mi Theophraſte, tam malus ſubditus ſum, ut de Principis diligentiſſimi recta fide, bonoque animo ullatenus dubitem: non enim ignoro, quantam obſervantiam, pietatemque, civium quiſque debeat Rerumpublicarum ſupremis moderatoribus. Quare & ipſe illorum hominum ſacrilegam temeritatem vehementiſſimè improbo, qui, quoniam legum hiſce diebus latarum nonnullæ plurimùm ipſis diſplicuêre, nihil non faciunt, quò Legiſlatoris Auguſti majeſtatem, auctoritatemque in vilipendium adducant, maledictis eum atque convitiis nulla non occaſione onerantes; zelum habentes videlicet, ſed qui non ſit ſecundùm ſcientiam. Quâ in re ex Eccleſiaſticis quoque multos peccare video, quorum unus ad tantam proceſſerat dementiam, ut aſſeveraret palàm, ſe non orare ampliùs pro Imperatore velle, nec ejus mentionem facere in Canone Miſſæ; quippe qui Hæreticus eſſet, Tyrannus, homo impius, injuſtus, qui omnia ſuſque deque verteret, religionem haberet contemptui, profanaret ſacra, opprimeret ſubditos, vexaret exteros, ac populorum denique jura & privilegia, avitaſque conſuetudines, ùtùt ab ſe juratas, faceret flocci, conculcaretque pede liberrimo.

Med. Quantus zelator! Quaſi verò orandum pro Principibus minimè ſit, quando errant, ac non

tunc potiùs aliorum precibus vel maximè indigeant. Oportebat hujuſmodi Sacerdotes meminiſſe, quod ad Hebræos ſcribit Apoſtolus [Cap. 5. ℣. 4. & ſeqq.] ideò Pontifices ac Sacerdotes eſſe conſtitutos, ut offerant dona & ſacrificia Deo pro peccatis : eos ex hominibus aſſumi & pro hominibus conſtitui in iis, quæ ſunt ad Deum, homines ſcilicet infirmos, mortales, fragiles, qui poſſint compati infirmitatibus aliorum, & condolere iis, qui ignorant & errant, quoniam & ipſi circumdati ſunt infirmitate. Meminiſſe quoque oportebat ſæculorum Eccleſiæ priorum, quando diras adeò perſecutiones ab Imperatoribus patiebantur fideles, nec deſiſtebant ideò pro ipſis orare, utì nos docent Juſtinus Martyr, Tertullianus, Cyprianus, aliique illorum temporum Scriptores. Sed vel ex Eccleſiaſticorum ordine non defuerunt unquam homines, qui juſtæ moderationis ignorantes modum, impetu ducerentur potiùs quàm ratione, dumque Religioni ſervire contendunt, officii interim obliviſcantur erga Magiſtratum. Quin auditus non ita pridem alius eſt dicere, quoniam datam in *Læto*, ut vocant, *Introitu* fidem violaret Princeps, imperandi illum jure excediſſe, faciendamque adeò ab eo ſeceſſionem, ac jugum quomodocunque excutiendum; qui & iratus valde erat prætereà, quòd perniciosiſſimum, ùt vocabat, hominem Pontifex Summus atque Epiſcopi Sacris non interdicerent, atque armis ſaltem ſpiritualibus, dum alii materiales enſes negligerent exerere, non humiliarent.

Theol. Neſciunt nimirùm tales, cujus ſpiritûs ſint, neque licere unquam, ſeu violatæ religionis obtentu, ſive alia quacunque de cauſa adversùs legitimum Principem rebellionem facere, quod multis adversùs Baſnagium, Juriæumque, oſtendit olim, Galliæ totius lumen ac decus, Ill. Boſſuetus. Excommunicationis quoque fulmen minimè vibrandum temerè; necniſi adversùs magnos ac manifeſtos peccatores, eoſdemque in ſuis ſceleribus pertinaces: nunquam verò aut ferè nunquam, adversùs ſupremos Principes (*), qui nimirùm & contemnere Eccleſiaſticas cenſuras liberè valeant, & vindicare inſuper ſe, ac ſchiſma quoque in Eccleſia, malum ſcilicet omnium maximum, excitare.

Med. Vide quouſque demùm vergeret intemperans quorumdam, ardor dicam, an furor? Ego profectò hujuſmodi homines minimè fero, & quandocunque me coram talia effutiêre, officii duxi, eos redarguere, ac volubilem nimis linguam injecto fræno compeſcere.

Theol. Optimè tu quidem & Chriſtianè. Sed cum his omnibus eſt fatendum, decreta fuiſſe & conſtituta non pauca, quæ non ita decerni fuerat meliùs, quædam etiam, quæ cum antiquis patriæ

(*) Vide S. Auguſtinum Lib. III. cont. Parm. Cap. 2. Num. 13. 14. &c. novæ edit. Tomo. 9. p. 42. Fleury Diſſ. III. in Hiſt. Eccleſ. Van Eſpen, Jeunir, &c. de Cenſuris.

juribus ac privilegiis non admodùm videri prima fronte poſſint convenire.

Med. Hoc eſt, quod murmuratorum plerique nunquam non habent in ore: ſanctiſſimas patriæ conſuetudines atque uſus, & quidem à Principe, cum inauguraretur, ſacramento defendi promiſſos, ab eodem nullo diſcrimine inſuper haberi, lædi atque convelli: ſacrilegum proinde illum eſſe, atque impotentiſſimè injuſtum; dignumque adeò, cui obtemperare recuſent ſubditi ac totis viribus obſiſtant; ſeu alium ejus loco Dominum ſibi conſtituant. Ita expreſſis verbis poni articulo poſtremo *Læti Adventûs*, intellectumque illum ſic eſſe ab omni ævo, & factum quoque aliquando.

Theol. Non omnia, quæ ſacta à noſtris aliquando ſunt, fuêre legitima. Neque eſt ſingulorum de violatis Patriæ juribus judicare: ſed Principis inprimis ipſiusmet, tum & Ordinum gentis atque Primorum: alioquin enim quid tutum foret Principibus Rebuſque ipſis publicis, ſi privato cuique hiſce de rebus relinqueretur judicium? Mutare plebs Dominum vellet ſæpiſſimè ac ferè quoties ab illo aliquid ſtatuitur non ſibi undequaque acceptum; cùm ne Ordinibus quidem ipſis per *Lætum*, ad quem provocant, *Introitum* videatur hoc licêre: poteſtate ſolùm facta, ut ſi aliquid, quod ei adverſetur, ſtatuerit Princeps, non teneatur populus obedire.

Med. Vis dicere; dum patriæ jurium privilegiorumque, ad quæ pro viribus tuenda jure-jurando ſe devinciunt noſtri Principes, infractio manifeſta eſt, ita ut dubium nullum patiatur, non fore obligatos cives ea in re illis obtemperare; licèt devincti eiſdem permaneant in reliquis, neque ob id excutere Dominium ullatenus liceat.

Theol. Sic ego tabulas noſtras intelligerem; tametſi debeo agnoſcere, non multa earum Commentaria à me fuiſſe lecta. Hâc ſanè viâ & Principi ſua manet auctoritas, & populo ſua privilegia: & civilibus bellis anſa omnis præcluditur.

Med. Bella civilia malum ſunt ipſâ privilegiorum amiſſione gravius. Sed fruſtrà horum jam meminimus; nam ex quo Principibus noſtris tam copioſi ſunt exercitus, tam boni promptique ad obediendum milites, tam firma cum Gallis fœdera, pecuniarum tam immenſa vis: Ordinibus contrà noſtris nullæ ampliùs copiæ, patriæ munimenta diruta, arces deſtructæ &c. eorum nullus ampliùs metus eſt.

Theol. Ceterùm dum ſic Principem vindicamus contra ſeditioſos cives, diſſimulare interim non valeo, quod mox quoque dicebam, nonnulla eorum, quæ ſtatuit, talia eſſe, quæ non ſic ſtatui videatur futurum fuiſſe longè utilius. Ut enim ſalvâ quam illi debemus reverentiâ, exemplo uno alterove hoc doceam: quid attinebat Acatholicos in provincias,

in quibus vel nulli unquam fuerant, vel multâ pridem curâ ac labore majorum, nec ſine turbis ac bellis erant eliminati; quid attinebat, inquam, turbulentos homines exoſoſque Deo, ultrò advocare? An non avertere ab eo conſilio ſupremum Principem debuerant mala tam varia ac multa, quæ præteritis ſæculis impatiens fræni, jugique hæreſis in florentiſſimas haſce regiones invexit? Fœderatæ Batavorum Provinciæ nonne hoc œſtro percitæ adverſùs legitimum Dominum ſeditiones ac bella excitârunt, diuturna illa atque cruenta, donec abſolutiſſima tandem ſeceſſione facta, veteri imperio abjecto, Rempublicam ſibi ſeorſim conſtituêre, tam infamem profeſſione erroris, quàm nobilem divitiis? Ut jam de Gallia ſileam, Germania, Hungaria, Tranſylvania, Polonia, Bohemia, Anglia, Helvetia, extremiſque Arctoï regnis Suecia & Dania; in quibus omnibus mox atque hæreſes aditum invenêre, diſſidiis, rixis, factionibus, ſeditionibus, bellis inſonuêre omnia; cruentatis mutua hominum cæde paſſim agris atque urbibus: ut non immeritò pridem ante ſæculum unum, paullòque ampliùs, Galliarum Rex Chriſtianiſſimus LUDOVICUS, nomine, reque, Magnus, è ſuis ditionibus faceſſere Proteſtantes omnes lege juſſerit, ac ſacris, ſive publicis, ſive privatis ſeveriſſimè interdixerit.

Med. De abrogato Nannetenſi Edicto ſermonem, credo, habes; quod, ni fallor, accedit anno præteriti ævi octogeſimo quinto; quando Calviniana ſecta tot hactenus turbarum, bellorum civilium & rebel-

lionum fœcunda ibi parens, è Gallia publicis tabulis profligata eſt, ad hanc uſque diem.

Theol. Præſtabat, ùt ego quidem autumo, tanti Regis exemplo, hoc hominum genus in eas ſaltem provincias, in quibus nihildum juris adhuc obtinuerant, non inducere, poſt nidulationem non facilè expellendum. Experientiâ namque conſtat, irrequietum malum hæreſim eſſe, indoliſque talis, ùt abjecta ſemel ſanctiſſima certiſſimaque auctoritate Eccleſiæ ſeu potius Numinis, humanam quoque ſeriùs aut citiùs contemnat, auferatque adeò è ſocietate concordiam, foveat diſſidia, rideat ſacra, turbet Rempublicam, aut etiam ſubvertat, extinguat, peſſumdetque penitus.

Med. At jam multò mitiores, quam olim erant, facti ſunt ſectarii; major quoque Principum auctoritas ac vigilantia; ut proinde hujuſmodi Tragœdiæ non ſint deinceps facilè ab ipſis timendæ. Sedato priore illo impetu, quô ferebantur, poſitoque odio & rancore quo fuerant agitati, dementatique, olim à ſeditioſis corruptiſſimiſque magiſtris, ut Catholicos perſequerentur, ad priſtinam humanitatem ac manſuetudinem poſtliminiò rediêre: ex quo præſertim Catholicæ Religionis dogmata rituſque ſanctiſſimos, quæ puras putas ſuperſtitiones atque idololatriam eſſe ad ravim uſque clamaverant eorum miniſtri inſigni calumniâ, pacatiùs certiùſque intellexêre, atque habiti viciſſim & ipſi à noſtris mitiùs ſunt. Ut adeò

fortaſſis hæc eadem licentia ab ſagaciſſimo Principe illis facta, occaſio futura ſit, ut plurimi eorum ex conſuetudine cum Catholicis hominibus habenda errorum ſuorum inſipientem falſitatem intellecturi ſint ac noſtræ fidei certiſſimam veritatem edocti, redituri ad gremium benigniſſimæ Matris; ad caulam, undè ſui majores tam ſtolidè temerèque exiêrunt, extra quam nulla cuipiam pateat ſalus. Quid! ſi hæc fuerit mens Principis eam illis gratiam ultrò facientis?

Theol. Modò-ne omnia in religioſi Edicti defenſionem es complexus?

Med. Minimè verò· Succurrunt & alia quædam haud ſanè ſpernenda. Nullo non tempore vociferati ſunt Acatholici, nimia adversùm ſe ſeveritate agi, nec ſatis habere Romanæ fidei Profeſſores, quos & Papiſtas per contemtum vocant, ſuam doctrinam rejicere, abominari, accuſare erroris atque hæreſis, niſi & homines ipſos iſtiuſmodi doctrinæ addictos, homines ſcilicet frugi ac ſuæ conſcientiæ rationem unicè ſectantes, modis omnibus vexent, ſpolient officiis, fortunis, privilegiis, patriâ extorres faciant, afficiant carcere, infamiâ, ſuppliciis, iiſdemque non rarò exquiſitis, morte denique ipſa; ac poſt mortem quoque dedecorent communi cum brutis animantibus ſepulturâ. Notum, inquiunt, eſt, quàm in Gallia, in Belgio, in Hungaria, dirè ac barbarè per plurimos annos in noſtræ fidei homines fuerit ſævitum, lanienâ horribili atque apud barbaras ipſas gentes

nunquam auditâ. Nec ceſſant adeò nos traducere, tamquam ſi religionis noſtræ hæc indoles ſit, ille genius, ut quoſcunque nos abs ſe alienos divexare omni ratione jubeat, nulla unquam pace conceſſâ; qùum tamen religionis veræ, id eſt Chriſtianæ, regula hæc ſit, mitem eſſe debere ejus ſectatorem, manſuetum, benignum, clementem, patientem, indulgentem, facilem, humanum.

Theol. Deinde quid?

Med. Hinc igitur arguunt, eam certè veram atque à Chriſto Domino inſtitutam ſocietatem minimè eſſe poſſe, nec ejus nomine donandam religionem, quæ tam crudelis ſit, imperioſa, intolerans: maximo Eccleſiæ damno atque infamiâ.

Theol. Sed æquè noſti, pleraque horum aut falſa eſſe, aut exaggerata, aut jure commerita; ut modò dicere omittam, longè plura & graviora ab ipſis paſſos fuiſſe Catholicos, quod ex univerſa liquet hiſtoria.

Med. Sic fateor, mi Valentine! non eſt ex omni parte vera hæc eorum accuſatio, nec æqua querimonia: nam longè alia eſt veritatis cauſa, quàm erroris. Quanquam fatendum ingenuè quoque eſt, à Catholicis quibuſdam Principibus, fideique, ùt tunc vocabantur, quæſitoribus in ſeveritate adhibenda pro tempore non ſatis aliquando ſervatum fuiſſe modum:

dum

cum quidam alii rurſum contrà juſtò indulgentiores eſſent. At quomodocunque res illa habuerit ſeſe, non locus erit hujuſmodi criminationibus deinceps. Dum tanta ſecum mititate à Catholicis videbunt agi poſthàc, deferveſcet odium, ceſſabit animorum abalienatio; depuratæque ac liberæ à præjudicatis opinationibus errantium fratrum mentes veritatis denique jucundiſſimum lumen percipient lætæ & amplectentur.

Theol. Verùm non animadvertis, ex alia parte hanc Acatholicis habitandi promiſcuè cum noſtris, ſuaque Sacra exercendi, conceſſam libertatem, non paucis è Catholicorum grege ruinæ ſpiritualis occaſionem facile futuram, dum ſive initis cum iiſdem connubiis, ſive aſſiduo cum illis uſu ac neceſſitudine, minùs horrere hæreſim docti, exitialis doctrinæ toxicum paulatim imbibent, donec majorum ſuorum laudatiſſimis ritibus primùm contemtis, deinde planè repudiatis, apertam ab Eccleſia defectionem tandem faciant. Profectò ſi famæ publicæ, Ephemeridialibusque libris habemus fidem; jam inde in Hungaria benè multi, longèque adhuc plures in Bohemia (*), intra hoc quinquennium, ex quo conceſſa ab Imperatore in terris ſuis hæreditariis religionis libertas eſt; multi, inquam, qui hactenus Catholici habiti fuerant, proque talibus per omnia ſe geſſerant, ad Calvini, Lutherive caſtra,

(*) In Diœceſibus Pragenſi & Gardecienſi.

opinante nemine, tranſiêre. Neque eſt dubitandum, alibi quoque idipſum accidiſſe, futurumve ſaltem, ut accidat cum tempore, non abſque inſigni Eccleſiæ jactura, fideique incommodo. Quarè & Lovanienſis Academiæ Theologica Facultas, quo tempore de publicanda eadem libertate in hiſce oris adhuc deliberabatur, non omiſit orare, ſupplicare, inſtare, apud Principem, ut ne id fieret. Ordines quoque, temperamento uſi Principis voluntatem non repudiârunt apertè quidem, ſed nec promulgari curârunt, quo tamen, opinor, præſidio nunquam efficient, ut ſe hæretici in Belgicam noſtram non inſinuent, facultate à Principe conceſſa uſuri, quomodocunque jam notâ. Fac autem, quod dicebas ſtatim, manſuetiorem nunc eam gentem factam, depoſito veteri odio; adeòque turbas nullas ampliùs, quales olim excitaverant, eſſe pertimeſcendas: nonne poſt annos aliquot aut ſæcula, poſtquàm nimirum aliquamdiu pacificè ſe geſſerint, redire eadem ipſorum phreneſis ac vertigo poterit, & quod olim fecêre, facere adhuc? Morbus eſt hæreſis & validus & pertinax, cui ſuæ ſubinde convulſiones ac furiæ recurrunt, rabiem iterum exerens, ubi aliquantùm conquieverit. Et tale tantumque malum in provincias has noſtras, florentiſſimas pacatiſſimasque, ultrò accerſamus, in Religionis pariter ac Reipublicæ certiſſimam perniciem?

Med. Non ego tueri diſſidentium partes ulla ratione volo; ſuadere tantùm, non defuiſſe Impera

tori graviſſimas cauſas, cur ſic faceret: neque ferendos eſſe loquaculos maledicosque homines, qui zelo excæcati ſuo, atque acti in tranſverſum, ex hac potiſſimùm parte Auguſti Principis fidem, religionemque, vocant in dubium, tanquam qui hæreticis faveat, nec ſit ab eorum erroribus magnoperè alienus. Verùm enim verò hæc ipſa, quam Acatholicis conceſſit, in ſacris libertas, iis eſt circumſcripta limitibus, ut non facilè ſeu Religioni, ſeu paci publicæ, ſit nocitura. Quàm verò JOSEPHUS falſa eorum dogmata non approbet, manifeſtum eſt, tum ex catholici hominis officiis, quæ tam accuratè, ſanctèque, in noſtræ communionis templis identidem explet, tum ex pietatis exercitiis penè quotidianis, tum denique ex eo, quòd catholicæ fidei profeſſores non niſi maximis adhibitis cautelis ad aliena ſacra tranſire permittat, poſtquam videlicet omni adhibito remedio Epiſcopi ac Paſtores currentem in perniciem ovem ad ſaniora permovere conſilia, continereque non ampliùs potuerint. Quin vellet, optatque toto corde, ùt ſinguli atque omnes, quotquot è ſuis ſubditis erroribus addicti ſunt, fidei veræ amplecterentur lumen, atque ùt Chriſtiani omnes ſunt, ſic Catholici pariter eſſent. Adhæc novimus exemplo non uno, quàm Apoſtatrices è Catholicorum pridem numero animæ parvam exinde gratiam apud illum iniverint; dum non ſemel tales faceſſere ab ſuo conſpectu, aulâque, juſſiſſe eum legimus.

Theol. Omittis dicere, quòd Elizabetham è Wurtenbergenſi nobiliſſima familia elegantiſſimam filiam, quam Franciſco, ſuo ex fratre nepoti, pridem deſtinavit uxorem, Catholicis primùm principiis maturè ac probè imbui fecerit, abjurareque hæreticos errores, quâ unâ ex re, quàm ab hæreticis doctrinis ſit alienus, apertè ſatis conſtat.

Med. Nihil ergò de fidei ejus ſinceritate dubitemus, nec feramus unquam, à maledicis zelotis eam proſcindi ac lacerari. Filii ejus ſumus, quorum ſcilicet eſt exiſtimationem parentis pro viribus vindicare.

Theol. Pandet aliquando omnia Καρδιογνόστης Deus. Quid illi volunt ante tempus judicare?

Med. Hoc addo. Quoniam Acatholicorum Principum plerique jam pridem benigniſſimos adversùm Catholicos exhibere ſe cœpêre, magìſque adhuc exhibent indies, æquum omninò videri, ut pares nos quoque ipſos erga Proteſtantes exhibeamus: non ignoras enim, quàm bona evaſerit Catholicorum ſors in Moſcovia, Suecia, Dania, Boruſſia, ipſaque adeò Anglia & Hybernia; ut nihil dicam de Germaniæ multis Principatibus, oppidisque ampliſſimis, in quorum benè multis quùm ſoli antehac Acatholici adminiſtrandæ Reipublicæ, dijudicandis civilibus controverſiis obeundis muniis, quà ſacris, quà politicis, militaribuſque applicarentur; Catho-

lici verò arcerentur omninò, ac ne privatìm quidem ſua ſacra peragere ſinerentur; jam nunc ultrò ad hæc omnia admiſſi ſunt, ac porrò invitantur, ceù communes patriæ cives, ac fratres, fermè ſinè diſcrimine; ritus quoque ſuos ſecundùm conſcientiam frequentandi data penè æquali cum ipſis libertate.

Theol. Hollandi etiam, quod ex variorum relatione fida accepi, quantùm ad hanc partem indulgentiores effecti, ante paucas has ſeptimanas in gratiam Catholicorum Solemne Reſcriptum dedêre, eorum preſertim qui in Buſcoducenſi, Bredano, Bergizomenſique territoriis morantur, quorum præ ceteris ſors gravis erat ac miſera.

Med. Illis ergò omnibus tantâ adverſùs nos gratiâ utentibus, nos ſoli antiquum odium retinebimus? Et verò liquet, quàm parum hucuſque ſuppliciis ac ſeveritate in religionis negotio fuerit profectum. Hæreſis error eſt, ſed qui intellectum inprimis afficiat, eximenduſque adeò ſit non tormentis ſed ratione ac mentis perſuaſione intima. Vim ſi adhibeas, hypocritas plerumque facies; ex Hæreticis, inquam, ſictos, adeòque peſſimos, Catholicos. Quòd ſi extremum ſupplicium fortè accidat à nonnullis eorum errorum ſuorum cauſâ intrepidè, obſtinatoquè, ſubiri, latiùs adhuc ſerpet error & confirmabitur; quando incauti ſpectatores, aliique, non animi pervicaciæ, ſed veritatis maximæ vi atque fiduciæ tribuent miſeram in tormentis conſtantiam. Aliud eſſet tamen de

Acatholicis perduellibus, inquietis ſeditioſis: qui quoniam publicam pacem religionis obtentu moliuntur diſturbare, comprimendi è veſtigio ſunt, puniendique, non quia errant, ſed quia turbant. Verùm neſcio quæ loquacitas extra orbitam me egit. Redeo ad Imperatorem, & ajo etiam atque etiam, facti ſui rationem habere potuiſſe non unam, nec levem; etiam ipſiuſmet religionis intuitu; quanquam diffiteri nolo, credere me quoque, politicis potiùs, quàm religioſis de cauſis id conſilii ab eo fuiſſe arreptum.

Theol. Tu quidem Principis cauſam peroras minimè malè. Vereor tamen, ne in conſtituenda hac re Conſiliariorum plerorumque erga ſanctiſſimam religionem tepor, damnandaque illa, quæ pridem occupavit leguleïos ferè omnes, in ſacris indifferentia, partem etiam magnam habuerint. Quidquid ejus rei ſit; licèt adversùm errantes fratres benignitate multa, mititateque, utendum & ipſe arbitror; reor tamen, longè meliùs, utiliùſque, fuiſſe futurum, ſi in illas ſaltem provincias, ubi nulli adhucdum erant, ultrò non fuiſſent advocati.

Med. Ita & ego, mi Valentine, ſentio. At non eſt noſtrum in arcana regum conſilia invadere, atque ipſa enucleatè velle aſſequi. Contineamus nos interim ab immodicis querelis, atque errantium fratrum animas potiùs, quà exemplis, quà doctrinis, tum verò maximè pacifica & ſuavi converſatione, mulcentes placidè ac permoventes in eandem nobiſcum caulam conemur reducere.

Theol. O! ſi videre aliquando hoc liceat?

Med. Nunc verò, Valentine, officium me urget, & inviſere ægrotos aliquot debeo; redibo, ſi tibi hoc grave non accidet, poſt meridiem, quando rurſum unà ſpatiabimur & confabulabimur: nam quoniam per multos jam dies, neſcio qua de cauſa, te abdidiſti, nec licuit te videre aut alloqui, compenſari jacturam meam volo, ac te frui, tecumque agere & diutiùs & confidentiùs.

Theol. Gratiſſimus mihi erit reditus tuus. Jam à negotiis vacuus ſum, juvabitque amico colloquio juncta deambulatio diſſipandæ melancholiæ, quæ me occupavit aliquandiu non mediocriter; & malim tuo conſortio uti, quàm pharmacis.

Med. Vale in horam ſecundam.

Theol. Vale tu quoque, & cura, opportunè adſis.

Med. Faciam.

Colloquii prioris Finis.

Colloquium II.

Med. SAlve, mi Valentine. En, ùt condiximus, adſum; ſine comitatu tamen, ut ne mutuo candori ac confidentiæ, cùm ſermocinabimur, quid obſtet.

Theol. Opportuniſſimè adveniſti.

Med. Jam unà hinc rus abeamus, viſuri agros, quid parturiant, quam ſpem de ſe fructuum præbeant. Vide ùt ſerenum cœlum eſt. Age, Age; eamus, utendum aurâ eſt, dum favet.

Theol. Capio baculum, ſi fortè canis occurrat, qui inquietet, aut alia beſtia.

Med. Ejus rei causâ & ego ſecurim mecum cepi, quod non ſoleo.

Theol. Hui! quomodo obducta eſt rubigine.

Med. Nihil refert; nullum lignum ſecabimus.

Theol. Monomachus, ſcio, non es, nec fuiſti unquam.

Med. Incedamus ſub arboribus; gratam umbram habeo.

Theol. Amœnum quidem cœlum eſt; ſed calet tamen.

Med. Nunquam ſuavius ver mihi viſum eſt; en quomodò vireſcunt ac florent omnia. Garriunt aviculæ, errantque per ramos. Pleræque jam nidulos

habent, atque ovis incubant. Boves ab gramine ſaturæ jacent ac ruminant: currunt hinnuli. Tam copioſum & altum gramen eſt, ut jacentes vaccas, vix videas. Vide, quàm ubera lacte diſtenta habent!

Theol. Modò rus paradiſus eſt.

Med. Si divinare licet; idcircò tamdiu urbe abſuiſti, ut ruſticano hoc gaudio fruerere: nam, ùt hodiè manè adhuc conqueſtus ſum; jam dies multi ſunt, quibus non te vidi ampliùs.

Theol. Ut ruſticano fruerer gaudio? Immò idcircò foràs me recepi, ut tantò liberiùs gemerem.

Med. Non igitur bonus divinator ſum ego. Te verò miſerùm! cui tanta fuerit mœſtitia, quam mihi vidêris necdum ex integro poſuiſſe.

Theol. Nôſti facilè ex nuperrimo noſtro colloquio, quàm non ſit præſenti hâc tempeſtate lætandum. Ego aliquamdiu in vicinùm Cœnobium me abdidi, ubi & affinem habeo, hominem non incivilem, atque ùt pietate, ſuique Ordinis amore, ſic literis, quà humanis, quà divinis non mediocriter excultum. Hic cùm aliis docendis præeſt, tùm privatim omne genus ſcientiarum ſtudia colit ipſe, lucubrationibus jam benè multis abs ſe typo vulgatis clarus. Aulam ibidem vidi amplam valdè ac magnificam, omnigena librorum ſupellectile copioſè inſtructam; poſitamque non tumultuario ſitu, ſed ordine decentiſſimo, nitidiſſimoque. Una fratrum occupatio orare, ſtudere, ſumma inter eos concordia, habitus modeſtus, menſa non Borro-

mæana quidem illa, ſed tamen frugalis ac temperans. Catechiſmos quoque & conciones ex ordine ſinguli habent ad populum. Cantus eorum gravis, non tamen clamoſus, nec ultrà modum protractus aut piger : Officii totius divini mirus quidam decor ac majeſtas. Denique diſciplina ibi omnis, ſeu ſacra, ſeu œconomica, talis, quâ meliorem vix quiſquam deſideret. Hoſpitales præterea ſunt, erga pauperes & extraneos effuſi ; ut adeò non ſit opus aliena commendatione, ut honeſtus quislibet admittatur in eorum ædes. Ad quæ omnia plurimùm confert, quod Abbatem ea domus habet, Virum religioſiſſimum, modeſtum, doctum, affabilem, ab luxûs quâlibet ſpecie alienum, domi plerumque ſe continentem, ac in divinis Officiis perindè ùt ſuorum quilibet aſſiduum. Eſt illud monaſterium adſitum latiſſimæ variæque ſylvæ, prata viridiſſima in vicinia habens, quæ torrens, non latus quidem nec profundus, ſed piſcoſus admodùm, atque in ſerpentis modum hàc atque illàc creberrimè ſe inflectens, perluit. Solent non pauci, è Clero præſertim, in aptiſſimum hunc ad bonas cogitationes locum ad dies aliquot ſecedere, colligendi animi, excutiendique in pietatis quibuſdam exercitamentis, gratiâ. Nomen loci non afferam, quod videlicet poſt tam accuratam delineationem non valeas ignorare.

Med. O locum ſanctum ac plenum deliciis!

Theol. Huc ergò & ipſe me recepi ante ſeptimanas aliquot, multamque ibi cogitationem habui de

peccatis meis; de meo munere ac ſtatu; de corruptione ſæculi; de ambitione magnatum; de perverſitate judicum; de auri ſacra fame tam ubique regnante; de neglectu ſacrorum; de literariis diſſidiis, ſed quæ religionem quoque tangant; de pietatis quotidiano apud homines decremento; de plerorumque in rebus ad religionem pertinentibus damnanda frigidaque indifferentia; de felicitate vitæ monaſticæ, & magno nihilominus ejus jam ferè apud omnes vilipendio; deque aliis id genus rebus perquàm multis.

Med. Vellem in ſeceſſu illo tuo, tibi fuiſſe comes: nos enim Medici, quanquam languentium, malèque habentium, tum & morientium vividiſſimas imagines antè oculos habemus penè aſſiduò; tamen vix aliquid fructûs ſpiritualis ex iiſdem capimus, animo tunc magis circa delectum remediorum, quàm cogitationem humanæ miſeriæ, brevitatiſque vitæ occupato. Currimus dies ac noctes, atque, ùt Theodoro Medico ſcribit Magnus Gregorius, (*) *Sæcularibus indeſinenter cauſis adſtringimur; aſſiduis proceſſionibus occupamur*, ut adeò non vacet ſæpe, ne in ipſis quidem majoribus Eccleſiæ feſtis, adire templa, conciones, ſacra. Si poſthàc eò adhuc te recipis, tu me ſocium aſſume: faciam quod tu.

Theol. O te Medicum ſanctum! ſed vereor, ut tua uxor te ſit dimiſſura: metuet nimirum, ne Mo-

(*) Lib. 4. Epiſt. 31. novæ edit.

nachum denique induas, illaque ipſa ad exemplum tuum multamque ſuaſionem atque conſilium, ſanctimonialis fiat.

Med. Nunc profectò rides, atque atram tuam bilem videris depoſuiſſe. Sanè etſi cœlebs adhucdum eſſem, neque uxoria re ac liberis impeditus, quis hodiè Monachus fieri velit, quando Monaſteria paſſim abolentur à Principibus, atque è pleriſque eorum utriuſque ſexûs religioſi homines jubentur faceſſere ac deponere habitum, normamque vitæ derelinquere quam pridem aſſumpſerant? Niſi fortè ad exoticas abire regiones placeret, quod reipsâ à nonnullis magni nominis viris factum inaudio, videmuſque fieri à plurimis juvenibus.

Theol. Hulæum nôſti Mechlinienſis Seminarii quondam Præſidem?

Med. Novi utique. Vir eſt, & pius, & doctus; zelo fervens Apoſtolico; pauperum verus Pater, alumnorum timor pariter ac delicium; multâ uſus gratiâ apud ſuum Epiſcopum; éditis quoque nonnullis libris orbi literario notus: qui licèt ſtylo conſcripti ſint humili ac repente, impuro quoque & inelegante, careantque inſuper non raro ſanâ criſi & accuratiore indagine; pietatem ſpirant tamen ubique, & excitant in ſuis lectoribus. Olim ante plurimos menſes, poſtquam repetitis per intervalla itineribus ſanctimoniales alias atque alias, clauſtris ſuis

pulſas, è Belgio tranſvexit in Galliam, fama fuit, ipſum-quoque-met exuto Canonico in celeberrimo Trappenſi Cœnobio Monaſticum habitum fuiſſe induturum, niſi boni quidam, prudentesque Viri diſſuaſiſſent. Et profectò utilius multo Eccleſiæ eſt, ut magni ſeduliquè id genus homines pro illa laborent, quàm orent tantùm.

Theol. Nihilò ſeciùs dimiſſum tantiſper conſilium explevit nuperrimè, apud Eliani inſtituti ſodales altero à Pariſiis lapide tyrocinium, opinante nemine, ingreſſus.

Med. Quid ais? Carmelita effectus eſt?

Theol. Immò Carmelita; cucullo cilicioque, ùt ajunt, nunc lætior, quàm olim Byrrho.

Med. Quantum exemplum!

Theol. Alterum quoque ante paucos hos dies auditum eſt, non minùs, quàm illud, ſingulare ac mirandum.

Med. Scilicet verum fortaſſis eſt, quod heri rumore incerto ferebatur, Forgeurium noſtrum relictis muniis abitum, neſcio quò, paràſſe.

Theol. Et porrò paravit; amiciſſimo ſibi Hulæo contubernio profeſſioneque futurus Conſodalis.

Med. Mira narras, ac penè incredibilia. Scio quidem, Forgeurium raræ ſemper pietatis humilitatisque hominem fuiſſe in mediis honoribus; at Monachum aliquando futurum, poſtquam nempe & in Philoſophico curſu palmam obtinuit, & per annos plurimos Profeſſor ejus exſtitit publicus, tum denique & in Antverpienſi D. Virginis celeberrimo Canonicorum Collegio præpinguem nuper obtinuit Canonicatum; id, Hercle! credidiſſem nunquam. Quid ad hæc dicent Monaſticæ vitæ oſores & calumniatores? pergentne vituperare ac traducere de ridiculo, tanti apud homines etiam doctiſſimos factam diſciplinam, ut pro ea non dubitaverint relinquere fortunas, commoda, honores, amicos, propinquos, patriam ipſam, omnia? Audiant hæc illi & obmuteſcant. Certò opportunè, ſi unquam, in tanta hac Sanctiſſimi Inſtituti apud pleroſque deſpicientia, ea exempla accidunt. Faveat Divinum Numen optimorum Virorum cœptis! ac diſcant contrà iſti, tam magnis auſibus, tam lucidis, minimèque ambiguis; quàm in judicando, quàm in garriendo, ſæpiſſimè aberrent.

Theol. Non dubito, quin alios adhuc plures hæc exempla ſint permotura, aut jam inde fortaſſis permoverint, ut par aliquid audeant. Alibi ſcimus, tres ſimul ſpectatiſſimos viros, paullò antequam hæc, quæ narravi, acciderent, futurave præviderentur, apud Monachos Inſtituti quidem alterius, ſed nihilò mitioris, tyrocinium fuiſſe aggreſſos, inter quos unus

è Proteſtantium pridem grege, homo neque ignobilis, neque illiteratus; magnâ famâ, ædificatione multa.

Med. Ita nimirum Deus ſapientiſſimâ ſuâ providentiâ ordinare res Eccleſiæ ſuæ aſſolet, ut dum neceſſaria ſunt, grandia quædam facta exemplaque non deſint, quibus ruentem pietatem rurſum excitet, eximatque è mentibus hominum errores ac præjudicationes adversùs illam paulatim imbibitas, nec porrò deponendas, niſi in manu forti atque potente.

Theol. Fuerunt ſemper Monaſteria virtutis Seminaria ac Religionis noſtræ non infimum decus.

Med. Ut planè ſit dolendum, tantum illorum numerum apud nos eſſe exciſum: & ego quidem neſciam, ubi & quomodò tot meos filios, filiasque, honeſtè ſim collocaturus. In Parthenonibus multis, virorum quoque aliquot Cœnobiis, medicam meam operam locare hucuſque conſueveram; id quod mihi non parvam afferebat certamque utilitatem. Plerisque illorum modò exciſis, arctior etiam res mea familiaris effecta eſt. Experiunturque id ipſum mecum opifices aliique magno numero, quorum hac ex parte opus immenſum imminutum eſt.

Theol. Pauperes præteris, quorum ab iis ali conſueverat bona copia.

Med. Immò tanta, ut fidem ſuperet, neque à quoquam credi valeat, niſi qui, ùt ego ſuis ipſe oculis conſpexerit. Et quàm commoda hæc erant viatoribus, ipſisque adeò, ſi quando ob negotia excurrendum illis erat, regiis Miniſtris, Conſiliariisque hoſpitia!

Theol. Parva hæc ſunt, ac fortunas ſolummodò tangunt; ego jacturam Eccleſiæ majoris facio, quàm fortunarum: nemo enim eſt, ſi vel micam habeat bonæ mentis, qui non fateatur, Religioſorum Ordinum bene inſtitutas ſocietates, non poſtremam eidem gloriam afferre. Quæ Evangelica vocamus Conſilia, tam ſcilicet altè ab Salvatore laudata, cùm alibi ſæpius, tum maximè ubi rei hujus ſublimitatem perarduam ſanè ſignificans ait: *Non omnes capere verbum hoc;* hæc, inquam, Conſilia in Religioſis Cœnobiis præſtari ſanctè cernimus, deducique in opus: quâ vel unâ ex re Religionis noſtræ veritas, ſanctitasque, perſpici facilè valeat, ùt quæ homines alat penè divinos, talesque qui mundo, deliciisque ejus omnibus contemtim ſpretimque habitis, nobiliſſimarum virtutum exercitationi totos ſe addicant; angelicam in terris vitam degentes.

Med. Non eſt mirum, hæreticos paſſim omnes id vitæ inſtitutum tam multis ſcommatis, dicteriisque perſequi; quippe ad cujus altiſſimam perfectionem pervenire neutiquam valeant, homines carni & ſanguini, opibus, nuptiis, honoribus tam molli-

ter

ter addicti. Qua in re reputare mecum ſæpiſſimè ſoleo, quod ex certiſſimis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis animadvertiſſe memini, ſectas tantùm non omnes à noſtra communione alienas, ab hominibus exordium cepiſſe, ſequiori ſexui addictiſſimis, atque adeò corruptiſſimis: ut mirari ſubeat, quomodò tot variæ, nobiliſſimæque gentes dementari faſcinarique ſe ſiverint ab hominibus præconibusque, ab Evangelica perfectione ac ſanctitate adeò alienis. Niſi quod humanum genus ſuaptè naturâ amplecti magìs amat, quæ, noxiam licèt ſibi, libertatem amplient, quàm quæ reſtringant.

Theol. Laudandus Deus eſt, Theophraſte, quòd Sacræ Virgines, quibus exire aſylis ſuis ſupremo mandato juſſum eſt, arreptæ ſemel diſciplinæ tam uſque nunc perſiſtant eſſe tenaces. Quos lachrymarum torrentes non fudêre exeuntes? tum quanti gemitus ac ſuſpiria quando ab ſe mutuô divellebantur. Pleræque ne vale quidem dicere poterant ſororibus, intercluſo à ſingultibus ſpiritu. Jam verò abeuntes quoties dilectum reſpiciebant carcerem? Teſtudines dixiſſes, quarum caro ab teſta ſeu domo ſua non divellitur ſinè magnis doloribus. Nunc pleræque ſub habitu alio, ſed modeſto, priſtinum adhuc geſtant, prioris vitæ rationem, quantùm fieri poteſt, etiamnum tenentes vel in minimis. Diſcent tam copioſo exemplo Acatholici, Magiſtratus quoque noſter politicus, ac Princeps adeò ipſe qui mandatum tulit, vulgatiſſimæ de earum malè conten-

tis animis calumniæ quàm parum veritatis inſit, ac ſi unam fortaſſe aut alteram aliquando pœnituerit (quod in tanta humanæ voluntatis inconſtantia fieri natum omninò eſt) in talem vitæ rationem ſe conjeciſſe; cæteras eandem adamâſſe ità, ut ne expulſæ quidem dimittere illam abs ſe ſuſtinuerint. Nam præterquàm quòd non paucæ ex eis in Galliam ſe recepêre, parentum, affinium, amicorum, lachrymis minimè obſtantibus, à Chriſtianiſſimi videlicet Regis Amita, feminâ religioſiſſima aut invitatæ ultrò, aut gratioſiſſimè exceptæ: quot aliæ ſive in vicina Germania, ſeu Leodienſi ſolo Parthenones ingreſſæ ſunt, inſtituti, ſive ejuſdem, ſive alterius; penſione quoque annua abjecta? Dicant noſtrorum dierum impii, garrulique ſcribillatores; undenam tanta hæc femineis pectoribus vis inſit, ſi non ab agente ſe, quâ plenæ ſunt, divinâ gratiâ, ac religionis, quam profeſſæ ex animo pridem fuêre, firmiſſima certiſſimaque perſuaſione.

Med. Plurimæ noſtrarum Sanctimonialium, quæ ſuis clauſtris exire juſſæ ſunt, ſeptenæ jam vel octonæ, communem in æde quapiam commoda, locatæque, ſeorſim vitam agunt, jejuniorum priſtinorum, ſilentii, precum communium, aliarumque id genus ſanctiſſimarum exercitationum, quoad ejus fieri ab illis poteſt, obſervatrices religioſiſſimæ. Alias novi non paucas, quæ aut in Beguinagiis ſe abdidêre, aut Beguinæ ipſæ effectæ ſunt; nubendi tamen facultate, quæ illas manet, excluſa. Scio ex

Sanctimonialibus unam, quæ poſt plurimorum annorum vitam in Parthenone religioſiſſimè exactam, quùm ex eodem cum reliquis juberetur exire, non ſuſtinuit, donec educta ferè eſt vi: hinc in noſtræ regionis Parthenonem ingreſſa inſtituti alterius, non facit niſi deplorare calamitatem ſæculi, atque ad mortem ſanctam ſe præparare, non exitura ampliùs è ſuo receſſu, niſi compellatur ab immiti ſatellite.

Theol. Lachrymas mihi penè elicis, tam luctuoſa narratione.

Med. Alia quædam, novitia cùm adhuc eſſet, extinctus ſuus Parthenon eſt, tum in alium ingreſsâ, ibidemque per menſes aliquot commoratâ, & hic quoque eſt exciſus, donec denique electo tertio, ſed ſito extra patriam, aſſecuta optatam requiem eſt, fortunis omnibus cum libertate abdicatis. Tam verò, ùt audio, in gratiſſimo receſſu nunc lætatur, ut non poſſit ampliùs, perinde ac ſi in paradiſo degeret, eodemque non terreſtri, ſed cœleſti.

Theol. Quis in tenella adeò ætate, in ſequiore ſexu, tantam crediſiſſet fore animi magnitudinem, conſtantiam tantam? Has ego Heroïnas duco, ùt quæ non homines modò, ſed illecebras quoque & mundiales res omnes, quodque omnium eſt maximum, ſemetipſas vincere nôrint. Quòd ſi in delicato illo genere talia conſpeximus, nemo mirabitur, ſi paria quædam, aut etiam majora viri præſtiterint.

Med. Nunc ego mecum tacitus cogito, quo jure, quâ causâ, pius grex ſuis ædibus pellatur. Certè juravit Supremus Princeps antiquo ritu, quum harumce provinciarum poſſeſſionem primùm adiit, protecturum ſe Religionem & Clerum, Civibus & Oppidis res ſuas ſervaturum ac privilegia, Cœnobiorumque ſingulatim prærogativas minimè læſurum, tutaturum autem fideliter, ac pro viribus diligenter. Hìc mihi hæreret aqua, dum ex una quidem parte Auguſti Principis æquitatem certiſſimam perſpectamque habeo; ex altera verò manifeſtam injuſtitiam videre mihi videor: niſi vago rumore, qui & confirmatur indies, accepiſſem, Ordines ipſos, Patriæ nimirum Patres ac Tribunos Plebis, quorum inprimis eſt invigilare curareque, ut illa ſanctè cuſtodiantur, ac ſi qua in re lædantur à Principe ſive ex errore, ſive ex prava ſuggeſtione Aulicorum & Conſiliariorum, monere; niſi, inquam, accepiſſem Ordines ipſos in hoc conſenſum ſuum contuliſſe denique, ut Monaſteriorum copia diminueretur, atque ex illis abolerentur, quæ minùs cæteris utilia viderentur, ſive in quibus modicus eſſet Religioſorum numerus ac diſciplina relaxata.

Theol. Veriſſimus, quem audiſti, rumor eſt, mi Theophraſte! & nimiùm quàm veriſſimus. Atque hac in parte Flandriæ inprimis Ordines ridiculos ſe acutosque prodidêre, qui non ſatis habuerunt id ipſum Principis conſilium probare ultrò ac laudare, niſi & rogando ſuadendoque anteverterent; magis

nempe ſoliciti de collocandis, quos habent, amentibus, quàm de tuendis Patriæ ſacroſanctis juribus. Patres quoque reliquarum provinciarum poſt multam deliberationem ac reniſum qualemqualem, & ipſi tandem, ægrè licèt, aſſensêre.

Med. Hæc ſi ita ſe habeant, non eſt dicendus Princeps Sacramentum violare, niſi porrò cum certis cautionibus probatum acceptumque ab Ordinibus conſilium extenderet immodicè; quod illum facturum, non eſt credendum temerè.

Theol. Regionum antiquæ jura & conſtitutiones non ſic invariabilia habenda ſunt, ut nulla prorſus ratione mutari vel in minimis valeant. Utì populorum Principumque legitimis conventionibus creata illa, conceſſaque fuêre; ſic aſſentientibus populis iiſdem, ſeu eorum primoribus, ac Patribus, ut ſic vocem, Conſcriptis, alterari pro tempore & loco nonnihil valent, nullorum injuriâ.

Med. Judicandum ſemper, quantùm cauſa patitur, pro æquitate Principum eſt, Capitum ſcilicet Rerumpublicarum, quibus credere fas eſt, eos nunquam velle malè. Hoc ſuadet pietas ac debita illis reverentia. Neque laudo illos, qui hac rurſus ex parte JOSEPHUM incuſant, tanquam qui gentium ſibi ſubditarum privilegia faciat naucî, nec curet magis, quàm arreptam aliquis ſchedam, quâ tergat culum. Peſſimi blaterones! qui præterquàm

quòd Sacratiſſimi Parentis nomen exiſtimationemque lædant non mediocriter, populumque ſuis clamoribus atque dicteriis invitant, excitantque ad defectionem; conſcientiam propriam, alienamque graviſſimorum apud Deum criminum facientes ream, dignos præterea ſe faciunt, & porro digniſſimos, qui humanis quoque legibus judiciisque coërceantur, punianturque graviſſimè. Eodemque modo ſtatuendum arbitror de iis, qui contra Ordines Patriæ immodicas querelas diſſeminant, ac libellis famoſis paſſim & ubique eoſdem mordent ac lacerant.

Theol. At verò, nonne fatendum ingenuè eſt, quoniam jam loquimur familiariter ac ſinè arbitris, in propoſiti à Principe, probatique, aut ſaltem non rejecti, ab Ordinibus hujuſce conſilii executione ac modo à rerum adminiſtris non una ratione fuiſſe peccatum, etiamnumque peccari? Nam, ut demus è re patriæ fuiſſe, ut Aſceteriorum numerus imminueretur, abolerenturque adeò quædam; numquid non illis par erat ut parceretur, in quibus eximia quædam pietas ac diſciplinæ nobiliſſimus vigor cum magna animorum concordia regnabant? Deinde temeranda-ne erant, quod locis non paucis eſt factum, profanorum hominum manibus ſacra utenſilia, vaſa ſancta, in quibus auguſtiſſimum Religionis noſtræ myſterium toties fuerat confectum? Horret animus cogitare, quæ in Monaſteriorum quorumdam ſacris ædibus ea occaſione accidêre. Horret, immò horret etiam nunc, dum mente reputo, quot modis

cædem ſacræ ædes ſeu templa polluta fuerint; ex domibus Dei facta aliquando hoſpitia militum, ſtabula equorum, apothecæ granorum & fœni, laboratoria opificum, officinæ mercatorum, aulæ ludionum, atque, ut verbo me expediam, tanquam ſi ad divinum Numen cultumque pertinuiſſent nunquam, ad humanos quoſlibet uſus nullo diſcrimine adhibita.

Med. Impoſtor ille Gallus Toucheſaucroixius, qui tot homines ſeque adeò ipſum, ſuâ ſtultitiâ temeritateque decepit, aëroſtaticam ſuam navim ſeu globum, quo, ùt dictitabat, penetraturus erat nubes, trajecturusque Pariſios, in extincti cujuſdam Parthenonis Sacratiſſimo Templo in media urbe Belgii Principe pendentem habuit, videndum ſingulis ſoluto nummo. Fabulabantur ibidem ſpectatores, & jocabantur indecorè vel etiam impiè, aris jacentibus ac dirutis: aliis interim ex adverſo ad tantæ rei indignitatem gementibus, collacrymantibusve.

Theol. Hæc ego, mi Theophraſte! inter cætera in nuperrimo illo meo, quem dixi, receſſu mecum ſeriò, attentèque reputans, à lacrymis, ùtùt ſiccos alioqui oculos habeo, temperare & ipſe non valui.

Med. Oportet omnem prorſus erga res ſacras reverentiam, religionis ſenſum omnem exuiſſe illos, qui harum rerum faciendarum auctores, ſuaſoresque fuêre.

Theol. Attamen plurimùm abeſt, ut ego hæc omnia credam religioſiſſimo Principi probari: fortaſſis [& porro pronum eſt ita credere] ignorata etiam ab eo ſunt hæc tanta tamque infanda ſacrilegia. Ea nimirum Principum infelicitas eſt ac ſuprema miſeria, ut quoniam abſolvere univerſa per ſe ipſos minimè valent, miniſtrorum operâ indigeant, quorum interim errores ac ſtultitiæ imputantur abs plebe ipſis, ſæpe immerentibus.

Med. Hoc temperamento adhibito, & pietatem, rectamque mentem Principis, ſalvam tenebimus, & ſacrarum unà rerum temerationem non ſinè ingenti nonnullorum crimine fore exiſtimabimus. Quo etiam modo de aliis quibuſdam rebus, non ex omni parte, ùt videtur, æquis cenſeo ſtatuendum.

Theol. Mirum! quomodò uterque in iiſdem ipſis convenimus principiis, ferè ad ſingula.

Med. Utinam in Lovanienſi noſtra Academia tam magna, atque inter nos eſt, opinionum concordia regnaret!

Theol. Tam nunc diviſa in partes ſententiasque oppoſitiſſimas, Theologica præſertim, ibi Facultas eſt, ut qua demum ratione reditura aliquando in eam pax ſit, ego quidem neſciam.

Med. Et tamen niſi eæ quæſtiones componantur

ſopianturve ocyus, vereor Theologorum celeberrima hæc Schola peſſumeat penitus.

Theol. Foret ea jactura major quàm alia quæcunque hiſce regionibus queat accidere. Sed non eſt veriſimile, laturum JOSEPHUM, ut id incommodi in nos aliquando ingruat: novit enim Princeps ſapientiſſimus, nihil æquè conducere ad felicitatem, bonumque ordinem Rerumpublicarum, quàm ſi ibi bonæ artes, melioresque diſciplinæ tradantur & floreant; atque illud quamvis generatim verum ſit de ſcientiis omnibus, nihilominus intereſſe hominum præ cæteris, ut non negligantur divinæ; ſed foveantur potiùs ac promoveantur, quàm fieri poteſt maximè: quantùm namque cœleſtia præſtant humanis, tantùm Theologica reliquis eminet ſcientiis. Hæc morum regulas tradit & explicat; hâc ſtabilitur fides, exponùntur dogmata, deteguntur errores, refelluntur hæreſes, pellitur ſuperſtitio, nutritur pietas, creſcit religio, ædificantur cives, Civitatesque adeò ipſæ quid Deo, quid Principi, quid Magiſtratui, quid Parentibus, quid Dominis, quid ſibi mutuo debeant, monentur, docenturque. Vide quantùm Reipublicæ, Eccleſiæque interſit, ſcientiam hanc ſublimem valde, ac ſanctam, promoveri, foveri.

Med. Quarè minimè exiſtimo paſſurum Principem, ut Theologicæ Lovanienſium Facultati vel in minimo noceatur; curaturum ex adverſo, ut ea deinceps magis, quàm unquam antehàc, floreat.

Theol. Hoc quomodò ſit futurum equidem non video. Nam Nominationum Beneficialium jure eidem pridem ablato decreſcit indies immensùm alumnorum numerus; aliis promotionis omni penè ſpe abjectâ ad diſciplinas alias ſe convertentibus, vel à Literarum Studio ceſſantibus penitùs; aliis ſive in Seminaria Epiſcopalia, ſive in exoticas Academias ſe recipientibus. Deinde quamdiu ceſſabunt alumnorum conſuetæ in publico, privatisque Collegiis, Exercitationes, quas *Diſputationes* olim vocabamus, nobiliſſimæ hujus diſciplinæ decor atque progreſſus deperibunt ſenſim, eritque cum tempore, ut æmulatio omnis denique abſit, ſtimulus videlicet ſcientiarum artiumque omnium præcipuus.

Med. Verùm ſcis, quàm eſſent plerumque ſteriles ac jejunæ Theſes, quæ defendendæ vulgò proponebantur: ut adeò vix aliquis eas legeret, ac in piperis cucullos, aliosve magìs adhuc indecoros uſus ferè duntaxat inſervirent; cùm interim ea res tyronibus non parvis eſſet impendiis.

Theol. Haud diffiteor, jam per annorum plurimorum ſpatium & Diſputationes ipſas, & earum programmata, arida fuiſſe & macra admodùm, abſtruſiſſimis referta ſpeculationibus, quæ Philoſophos potiùs cavillatores, quàm Theologos decerent, *Quæque quæſtiones magis præſtarent, quàm ædificationem Dei quæ eſt in fide* (*), ùt loquitur

(*) I. Tim. I. ℣ 4.

Apoſtolus. Sed qualescunque demum exercitationes illæ eſſent, non carebant ſua utilitate; dum mutuam æmulationem excitabant, faciebantque, ut tyrones libris incumberent tanto diligentiùs. Olim ſub finem alterius, initiumque hujus, ſæculi Theologorum in hac ſchola Theſes luculentæ diſſertationes plerumque fuerunt, in quibus una quæſtio aut altera tractaretur elucidareturque ſigillatim; quales fuêre Hennebellii, Swaenii, Laemanni, Paſmanni, Lupi, Steyaertii, Opſtraetii, Eſpenii, ac præ cæteris Huygenii, in quibus præter copioſam eruditionem, jucunditatemque ſtyli ac methodi, materiarum optimus utiliſſimusque delectus eſt, cum multa unctione ædificationèque conjunctus: ut adeò ad hanc uſque diem ſerventur, leganturque avidè, nec ſinè fructu.

Med. Antiquitatum Eccleſiaſticarum ſtudium, tum & linguarum ſanctarum, tam bonæ ſolidæque Theologiæ neceſſarium, neglectum in hac Academia jacuit diu, donec noviſſimis hiſce diſſidiis reſſuſcitatum quadantenus eſt.

Theol. Sic ipſis quoque literariis diſſenſionibus ſua utilitas non deëſt; modò ne acriores ſint, nec in ſchiſma hæreſimve deſinânt. Quin ipſæ-met Calvini Lutherique hæreſes revocandarum bonarum artium ac ſcientiarum, pellendæque barbariei & ignorantiæ anſam quondam præbuêre.

Med. Fit tamen non rarò etiam, ut ab diſſidiis ſcientiæ incommodentur, abeantque in pejus: nam, quod ignorare minimè potes, ex quo ſub initium hujus ſæculi altercatum in Univerſitate Lovanienſi tam turpiter eſt, pulſique ex eadem fuêre tot viri eruditi, pii, docti; flos ſcilicet ac decus Academiæ, curantibus quibuſdam zelotis turbonibus, tantùm de ſua gloria illa deperdidit, declinavitque à priſtino vigore, ut umbram duntaxat antiquæ illius modò habeamus, hanc quoque amiſſuri, niſi ſedula manus atque induſtria apponat tempeſtivè remedium.

Theol. Medelam adferre aptam hoc opus, hic labor erit. Quod enim aiunt de abolendis Collegiis, quæ tanto ibi in numero ſunt, ſubſtituendoque, ùt vocant, Seminario generali, neſcio an non ipſismet vitiis, quibus mederi cogitant, ſit futurum deterius. Quod accedet huic, deperibit Seminariis Epiſcopalibus, tanto labore olim erectis, tamque impensè commendatis à Synodo Tridentina. Deinde quâ viâ (quod hac potiſſimùm in re dicuntur habere ſibi propoſitum) opinionum ſententiarumque inducetur concordia, quando qui modò ſunt Eximii Doctores, Profeſſoresque, adeò ab invicem diſſident, ſentiuntque in quæſtionibus non minimis tam oppoſitè, & quidem cum ardore animoſitateque tanta, ut ſuam quiſque opinationem videatur nunquam depoſiturus, quamdiu Eccleſia ipſa non tulerit judicium.

Med. Non eſt Eccleſiæ ſemper opportunum, neque utile, ſe Theologorum altercationibus immiſcere. Diſputationes plurimas tolerat, alias & permittit, quô materiæ magis elucidentur, habeantque fideles interim exercitium. Quanquàm profectò optandum eſſet, longèque foret ad pacem atque concordiam conducibilius, ſi omnes idipſum ſentirent in rebus etiam adiaphoris. Sed hæc quamdiu mundus erit, ſperanda numquam felicitas eſt.

Theol. Ut linguarum confuſio uſque durat, ſic durabit & ſemper & ſententiarum; niſi quòd hæc præ illa adhuc major eſt atque vetuſtior.

Med. At quæ in Lovanienſi Academia nunc regnant opinionum divortia, plus aliquid quàm adiaphora eſſe dicuntur; ut adeò quod Diſputationes de Theologia, publicæ atque conſuetæ intermittantur modò ibi, à Principe ſit cautum, decretumque providiſſimè,

Theol. Non tam conſervandæ pacis gratiâ, quàm caſtigandæ doctorum aliquot, tentandæque in ſuis opinionibus firmitati atque conſtantiæ, ea inhibitio facta eſt; quâ tamen hucuſque non adeò multùm in gratiam Aulæ eſt profectum. Cæterùm hæc omnia Veldio, Platoque debemus, qui ſuis altercationibus eam publicorum tentaminum ceſſationem Theologicæ Scholæ accerſivêre.

Med. Hic nempe fructus eſt Theologicorum diſſidiorum, dum immodica ſunt, modumque excedunt; ut proinde meritò quidam obſtandum ſemper eorum initiis eſſe cenſeant, ne dum diſſimulantur, creſcant interim, diſtractisque cùm multa animoſitate in varias partes, unà cum opinionibus mentibus atque ſtudiis, quietem publicam turbant.

Theol. Bonum remedium; ſed in præſenti hac cauſa non ampliùs opportunum.

Med. Quantùm capio, peccatum utrimque eſt; dum Veldius quidem temerè aſſeruit in publico Programmate, ob legum à Principibus de Nuptiis aliquando latarum *inſolentias*, *omnem de Matrimonio ſtatuendi auctoritatem jam pridem ſibi meritò Eccleſiam reſervâſſe*; quod certè quamquàm aſſertum jam ante ipſum fuerat à quibuſdam aliis, ſcire facilè poterat, quàm eſſet alienum à veritate, quàmque in hiſce temporum articulis diſpliciturum eſſet Supremis Principibus; Platus verò ex altera parte moderationis exceſſit limites, mordax in ſcriptis ſuis & contumelioſus.

Theol. Tu homines depingis dexterrimè. Hoc aſſero: mihi Veldium, Enochum, Platum, Marantum, ut cum Tacito (*) loquar, *nec beneficio, nec injuriâ cognitos*, quamquàm aliunde mihi non

(*) Hiſt. lib. I. Cap. 1.

penitus ignoratos. Quantùm autem in ſingulorum indolem penetrare valui; de Veldio ſic ſtatuendum arbitror. Virum eſſe boni ingenii, multæque lectionis; eruditionis variæ cum magna ſcribendi, loquendique facultate conjunctæ; pietatis præterea eximiæ, & pro tuendis Eccleſiæ juribus mirum in modum inclinatæ. At habet de Ultra-Alpinis principiis neſcio quid, quaſdamque præjudicatas opiniones tam altè imbibitas, ut penè pro fidei articulis teneat, ſentienteſque adversùm ſe tantùm non pro Hæreticis habeat. Platus loquax inprimis eſt & garrulus, in Monachorum Clerique mores omni occaſione intemperanter invehens; quod illi horum odium indignationemque etiam conciliavit. Cæterà homo eſt & ipſe pietate non omninò carens, ſed maſculâ alienâque ab ineptiis. Eruditus pariter & facundus, in jure tamen, præſertim Eccleſiaſtico & Hiſtoria, magis quàm in Theologia ſcholaſtica verſatus; ſtudii indefeſſi, laboriſque aſſidui: at Principum juribus tuendis, amplificandiſque tam impensè ſtudioſus atque addictus, ut penè quæ ad Eccleſiam pertinent, lædat & auferat. Marantus ſimiliter in Hiſtoria Eccleſiaſtica apprimè familiaris, cujus & explicandæ Provinciam poſſidet. Theologus gnavus & cordatus, omnis generis libros pertinaciſſimo ſtudio devorans, in abditiſſima quæque pervadens: ſtylo magis quàm linguâ valet: ſuperſtitionis cujuſlibet oſor atque inſectator maximus; amans diſciplinæ antiquæ; atque adeò Gallorum, quàm Italorum principiis vicinior: ab aſſentatione quidem Principum, non tamen à

captandâ eorum gratiâ omninò alienus: proindeque Plato magìs, quàm Veldio amicus: licèt ne hunc quidem oderit. Enochus ùtùt Eccleſiaſticarum antiquitatum ſcrutator eſt non indiligens, de munere ſuo aliquid contraxit, Beguinarum ſcilicet Paſtor. Tuendis nonnullis uſibus, Eccleſiæque, ùt opinatur, certiſſimis juribus ultrà modum addictior; contradictionis impatiens, atque in viros adversè ſentientes, quà publicè, quà privatim volubili nimis linguâ uſus, tumultuariaque; pius de cætero, ſervandæque in ſeminarum, cui præeſt cum laude, Collegio diſciplinæ vigilantiſſimè intentus. Doctorum plerique Veldio adhærent primipilo, Ghennius, Wuytſius, Herſus, Winckelius, cum tyronibus Theologiſque aliis penè omnibus; Maranto Mazierus, Mayancius, & qui agmen ducit Platus, cum Leguleiis pleriſque. Quid indè exſpectas niſi certamina?

Med. Parùm hæc referret, niſi bellaretur ab ipſis in re tam ſeria, atque ab Religione non undiquaque aliena. Verùm audivi jam ſæpè ex viris doctiſſimìs, litem, quam inter ſe verſant, ejuſce generis eſſe, in qua Eccleſiæ poteſtas atque auctoritas, tum & ejus diſciplina, lædi ab altera diſputantium parte poſſit non mediocriter.

Theol. Nimirum Veldius cum ſuis omni modo contendit Eccleſiam potuiſſe ſemper ac poſſe etiamnum conſtituere Matrimonii impedimenta, tam prohibentia, ùt vocant, quàm dirimentia, non aucto-

ritate

ritate accepta, mutuataque ab hominibus ſeu Principibus; ſed à Chriſto Sponſo immediatè eidem tradita, adeòque à nemine ei auferenda aut reſtringenda; id quod *Dogma fidei* in nominatiſſimo illo (*) programmate vocavit, Alexandrum nempe Natalem ſecutus, Gallum, Theologum olim, Criticumque Scriptorem celeberrimum: eam in rem præcipuè tamen laudans Concilii Tridentini Canonem 4. Seſſ. 24., qui in hunc modum ſonat: *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erráſſe; Anathema ſit.* Cui loco à Launoio, ejuſque aſſeclis, manifeſtam inferri vim affirmabat. Quin eò uſque eſt progreſſus, ut Eccleſiæ ſoli hanc condendorum impedimentorum poteſtatem aſſereret. Contrà Platus, jam inde Novâ Concilii Tridentini Editione, ſed adjecta inprimis eidem prælonga variaque Præfatione, tum & vulgatis in publicum Œcumenici ejuſdem Synodi actis multis rariſque, orbi literario notiſſimus; Platus, inquam, laudati mox Launoji inſiſtens veſtigiis, quam Eccleſia in matrimoniales contractus, eorumdemque impedimenta hucuſque exercuit poteſtatem non niſi precariò ab illa teneri, poſſiderique defendit, atque ex Principum indulgentia duntaxat, ut quorum jus illud unicè ſit atque ad quos ex jure ſupremo, Majeſtaticoque pertineat iiſdem nuptialibus pactis præſcribere leges, à quarum obſervatione valor illarum

(*) 1784. 18. Jun.

atque honeſtas dependeant. Omnia impedimenta ferè, quæ uſu obtinuerunt pridem, à Principibus quondam fuiſſe decreta atque invecta; & ſi quæ ab Eccleſia condita ſunt, qualia inter cætera ſunt *Raptus* & *Clandeſtinitas*, id illorum conniventiâ aut aſſenſu factum; ſic ut quas leges eatenùs fecêre ſive in Conciliis Patres, ſeu Romani Pontifices, ac Epiſcopi, non tam Eccleſiæ leges fuerint, quam Principum, hanc illis facultatem liberaliſſimè permittentium.

Med. Non tam manifeſtus mihi videtur eſſe error hæc opinio; nam undecunque Eccleſia poteſtatem illam habeat; ſufficit habere, ut definire potuerit adversùs Lutherum, ſe in iis conſtituendis non erràſſe, eâdemque minimè carêre.

Theol. Error-ne ſit, an non ſit, nunc tantiſper omittam dicere. Ejuſce Quæſtionis hiſtoriam repeto paullò altiùs. Ante Platum Joannes Launoïus, Doctor Sorbonicus, multis lucubrationibus, libriſque, per totam latè Europam clariſſimus, luculento Opere de hac re ſcripto, eandem ipſam doctrinam tradidit, aliique nonnulli è Catholicis ante & poſt ipſum, quam nunc adeò Platus, ùt alia pleraque, recoxit tantùm; quorum tamen nemo idcirco fidem religionemque uſque eo ſuſpectam habuit, ut diceret fuiſſe Hæreticos. Equidem fateor adversùs Launoïum, ejuſque opinionem, inſurrexêre, calamumque exacuêre, viri aliquot non infimi nominis; Galeſius, Gerbeſius,

Luillierus; ſed ſcriptis ſuis id nunquàm efficere potuerunt, ut adverſarii ſententia, quam magna contentione animoſitateque oppugnabant, vulgò haberetur pro hæretica, & Eccleſiæ juribus, Conciliisve manifeſtè contraria. Catholicus audiit Launoïus ad mortem uſque, quavis de tradita ſemel doctrina nihil mutavit unquam, immò ſub vitæ finem confirmavit etiam altero libro adversùs Dominicum Galeſium edito; qui cùm in regno Neapolitano Rubienſis eſſet Epiſcopus, ejus de regia in Matrimonium poteſtate Opus invaſerat, ſuadereque fuerat conatus, Eccleſiæ uni, excluſis Principibus, ſtatuendorum Matrimonialium impedimentorum poteſtatem competere, jure à Servatore Chriſto eidem conceſſo.

Med. De Galeſio equidem hoc minimè miror, ùt qui Epiſcopus eſſet Italus, atque adeò Ultramontanorum principiis probè imbutus atque addictus. (*)

Theol. Tu Scriptores Italos videris habere in hac re ſuſpectos planè, nec magnæ auctoritatis.

Med. Habent hoc Itali, utpotè Romanæ Sedi devotiores, præ reliquis gentibus peculiare, quod

(*) Fuerat anteà S. Congregationis Indicis Conſultor, & in Romana *Sapientiæ* Univerſitate SS. Canonum Profeſſor.

Supremi Pontificis, atque Eccleſiæ poteſtatem per omnia extendere, & amplificare geſtiant. Quanquàm, ùt fama fert, id ſtudii genus, nationisque præjudicium vetus, jam plurimùm flacceſſit. Non indignè ferentibus hoc Pontificibus ipſis, qui modò, utì jura, quæ ſibi reverà competunt, tuentur pro viribus, ſic nec improbant illorum candorem Scriptorum, qui redarguendos alios cenſuêre, ſuſcepèreque, eorumdem jurium immodicos amplificatores. Cujus ſanè rei exempla bene multa, legiſſe memini data à Benedicto XIV., Clemente itidem XIV., eoque qui jam hodie Eccleſiæ magna cum laude præeſt, ſic re, ùt nomine, Pio Sexto.

Theol. At non ſoli Itali hanc Eccleſiæ poteſtatem vindicârunt; reperti quoque apud Gallos ipſos fuêre qui id facerent. Jacobus nimirum Luillierus, Sorbonæ Doctor, adhucdum juvenis, eandem cum Galeſio viam calcavit, edito adverſus Launoïum libro, cui hunc fecit titulum: *In librum Magiſtri Joannis Launoii, Theologi Pariſienſis, qui inſcribitur:* Regia in Matrimonium poteſtas; *Obſervationes, Auctore Theologo Pariſienſi.* Lovanii (frons Operis præfert impreſſum fuiſſe Lovanii, cùm reverà Pariſiis typis prodierit) anno 1678. in-4°. Utroque Opere & Galeſii & Luillieri, Theologi jam noſtri adverſùs Platum plurimùm utuntur.

Med. Verùm retractare à ſupremo Pariſienſium Senatu juſſus eſt Luillierus doctrinam, quam tradi-

derat, tanquam quæ Regiis juribus repugnaret, curante inprimis Talonio, Cauſſidico Regio per id temporis celeberrimo, utì hæc narrat Racicotus in (*) Notis ad Concilium Tridentinum, (**) ac Platus ipſe in ſuorum Opuſculorum uno. Neque invenio in Sorbonico illo Sodalitio præter Luillierum fuiſſe vel unum, qui Collegæ partes fuerit tuitus, atque hanc, ut ille Impedimentorum ſtatuendorum facultatem ſic Eccleſiæ attributam vellet, ut negarat omninò Principibus.

Theol. Unde tibi tanta factorum illorum notitia? Nam ego ipſe, Theologus licèt, vix eadem ſic calleo.

Med. Semper amavi legere Biographos Dupinium, Niceronum, Goujetum, Chaudonum, Morerium; à quibus nimirum eruditorum præſertim hominum grandia facta, ſcriptaque recenſentur.

(*) Pag. 316. & ſeqq.

(**) Libri titulus eſt: „Notes ſur le Concile de Trente, touchant les points les plus importans de la diſcipline Eccléſiaſtique & le pouvoir des Evêques, les déciſions des SS. Pères, des Conciles & des Papes, & les réſolutions de plus habiles Advocats ſur ces matières; avec une diſſertation ſur la reception & l'autorité de ce Concile en France." Cologne 1706. in 8o. Vide novam editionem Morery, verbo: *Raſſicod.*

Theol. Legeris quoque apud eoſdem audaciſſimi ingenii hominem fuiſſe Launoïum, Criticeſque intemperantioris; tantæque inflexibilitatis, ut Academico Sorbonæ Collegio maluerit excedere, quàm ut ſe pateretur adigi, ad ſubſcribendum Cenſuræ ab Sorbonicis ſociis adversùs Arnaldum enuntiatæ.

Med. Omnes tamen fatentur Virum fuiſſe doctiſſimum; ac nunquam non Catholicum: cujus Opera multa nunc quoque legunt ac laudant eruditi, paucis quibuſdam exceptis. Sed ut revertamur ad argumentum de Matrimonialibus Impedimentis; Gerbeſius, quod, ni fallor, apud Dupinium, Niceronumque legi, aliam iniit rationem atque viam enodandæ quæſtioni; mediam nempe inter Launoïum ac Galeſium Luillierumque.

Theol. Immò mediam: nam jus hoc neque Eccleſiæ ſolius eſſe docet, neque ſolius Principis; ſed utriſque commune. In priore (*) Operis ſui parte copiosè adversùs Launoïum oſtendit Eccleſiam impedimenta Matrimonii dirimentia condere omninò poſſe, ac reverà condidiſſe non ſemel, id quod argumentis demonſtrat variis, certiſſimiſque, è præcedentium Sæculorum Hiſtoria, ſcriptiſque, petitis. In altera

(*) Operis titulus habet: *Traité pacifique du pouvoir de l'Egliſe & des Princes ſur les Empêchemens du Mariage avec la pratique des Empêchemens, qui ſubſiſtent aujourd'hui.* Paris 1690 in-4to.

idem jus Principibus etiam vindicat non ſpernendis rationibus, ubi & Galeſium, Luillierumque multis redarguit, probatque, Principes ab Eccleſia hoc ſuo jure privari nequidem potuiſſe, etſi hoc illa facere maximè voluiſſet, illique eodem fuiſſent abuſi, ſecùs atque pauci quidam aſſeruerant.

Med. At quomodò evitabuntur incommoda, quæ ex hujuſmodi poteſtatis æqualitate, communioneque juris, conſequi omninò natum eſt? Fac enim à poteſtatum una impedimentum aliquod decerni, quod altera repudiet, nec velit agnoſcere; quanta hinc rixarum, altercationum, incommodorum aliorum innumerabilium farrago. Quarè vereor, ut Gerbeſii temperamentum utile ſit componendæ difficultati, gratumve fuerit, ſeu Theologis, ſeu Principibus.

Theol. Suadet ille quidem, ut utraque poteſtas intra æquos limites ſe contineat; hoc eſt intra ordinem à Deo ſibi conſtitutum, priſtinisque Eccleſiæ ſæculis retentum, quando hæc condebat Canones, curabatque quæ Sacramenti eſſent; Principes verò ſanciebant leges, ſecundùm quas nuptiæ inirentur: quando Epiſcopi in eam rem decreta ab Imperatoribus exquirebant, hi viciſſim matrimoniales cauſſas ad Epiſcopos remittebant, concordibus animis.

Med. Scimus, nec olim quidem diſſidia eatenùs defuiſſe, poteruntque exoriri talia deinceps adhuc, ut jam reverà nunc hodie videmus quædam eſſe

exorta. Nam ut demus, Gerbeſii ſententiam veram eſſe, quis utriuſque poteſtatis in hac re terminos accuratè ſatis diffiniat?

Theol. Si inter utramque poteſtatem eadem ſemper ſtudia concordiaque regnarent, non eſſet cur de hac re à Theologis magnoperè laboraretur; verùm tot ſæculorum experientiâ eſt notum, quàm facilè hæ ſe mutuò concutiant, deturque inter eas contentioni locus.

Med. Accidit adeò, quod Niceronus teſtatur, Gerbeſio, quod aliis paſſim conciliatoribus. Multis ex utraque parte temperamentum hoc planè diſplicuit; nonnulli etiam datâ operâ impugnârunt; Boilæus (*) inprimis, per id tempus Sorbonæ Doctor eximius: qui Launoii quondam ſui ſententiâ in tutelam acceptâ, in Gerbeſium, Luillierum, reliquosque adverſarios illius omnes libellum edidit Gallico conſcriptum idiomate, hoc titulo: *Traité des Empêchemens du Mariage, où l'on fait voir, que le droit, qu'ont les Rois & les Princes d'en établir à l'égard de leurs ſujets n'a pu leur être ôté par violence ou par piété. Par un Profeſſeur en Théologie.* Cologne (**) 1691. in-8°., in quo tamen Opere in eos præcipuè Theologos pugnat,

---

(*) Jacobus Boileau, Doctor Sorbonicus. Vide Niceron Tom. 12. pp. 138 & 139. & Tom. 14. p. 135.

(**) Ou plutôt à Sens en France.

qui condendorum matrimonialium impedimentorum poteſtatem Principibus denegabant penitus, aut ſi quando habuiſſent, ſic Eccleſiæ eam ceſſiſſe dicebant, ſeu pietate eorumdem-met Principum eam abs ſe abdicantium, ſeu longa Eccleſiæ ipſius detentione ac uſu, ut eandem exercere ampliùs illi non valeant. Jus illud ipſorum ſupremæ majeſtati intrinſecum eſſe, ut cum Theologis loquar, & eſſentiale docet, atque è conſequenti inalienabile, juxtàque juris principia impræſcriptibile. Quod ipſum alii quoque multi, & quidem rectè, ùt videtur, arbitrantur cum ipſo.

Theol. Si ergò Principes unquam circa impedimenta dirimentia aliquid potuêre, Chriſtiana religione jam invecta, ſequeretur omninò poſſe etiamnum.

Med. Ceterùm rarus, ùt ſcis, iſte Boilæi libellus eſt, ac penè nullo pretio obtinendus; tametſi niſi 163 paginas non implet.

Theol. Doctus eſt, ùt cætera Auctoris ejuſdem Opuſcula, copioſaque eruditione refertus; ut planè mirer hoc tempore, quando de hiſce quæſtionibus tanta animorum contentione diſputatur, novis eum typis à Platiſtis non fuiſſe ſubjectum.

Med. Fortaſſis quoniam rarus adeò liber eſt, pleriſque non eſt cognitus. Pauci namque reperiuntur tuî ſimiles, qui improbo labore indagationeque

hoc aſſecutus es, ut quidquid librorum, penè dicam, in mundo eſt noveris, habeasque in numerato.

Theol. Quantum mendacium! ſed loqueris, reor, hyperbolicōs. Equidem in cognoſcendis libris multam ſemper operam poſui, ùt qui ſcirem probè, eorum notitiam ad bonas artes mirè conducibilem. Cæterùm ne vel centeſimam quidem eorum, qui in Europa ſola extant, partem ſcire ex nomine alicui datum eſſe arbitror; cùm plures ſint libri quàm homines; ac niſi magna eorum pars, quod fieri poſtremò de pleriſque ob bonitatem ſuam aſſolet, ad accendendum ignem, involvendas merces, alioſque adhiberentur officinales latrinalesque uſus, mundus iis oppleretur totus.

Med. Abivimus à propoſito: Redeamus ad Platum. Ille ùt aſſequor, non tam produxit opinionem novam, quàm ſuſcitavit veterem.

Theol. Platus amat ſcrutari vetera atque exotica. Emunctiſſimæ naris eſt, perluſtrat atque indagat omnia, ſi quid in rem ſuam guſtumque valeat invenire. Tum illos, qui ante ſe fuêre, expilat; alienis, ùt in proverbio eſt, plumis mox ſuperbiturus; poſtquàm ſtylo alienas merces ſuo, quem clarum habet, purum, facilem, ſed liberum, ac nonnunquam acriore ſale conditum, compſerit.

Med. Hoc eſt dicere, Platum plagiarium eſſe plerumque; ſeu furem literarium.

Theol. Et eſt reverà, non in hac de nuptiis Quæſtione duntaxat, ſed in aliis, quas agitavit, penè omnibus; ùt in priore illa Gerbeſium partim, Launoïum, Oberhauſerum, Petzekumque deplumavit; ſic in cæteris Eſpenium, Stockmannum, Arnaldum, Fevretum, Marcanum, Muſceltelam, Gervaſionem, aliosque in rem ſuam exſcripſit paſſim.

Med. Non eſt hoc vertendum crimini, modo ùt cum delectu hoc fiat, ſuæque Auctoribus, quibus profecimus, habeantur gratiæ: nam vix jam hodie dici aliquid poteſt, quod jam inde dictum non fuerit anteà. Porrò ſi tot alii ante Platum doctrinam ab eo prolatam tradidere, Catholici interim audientes: quomodò tam pronos ſe exhibuerunt ejus adverſarii, ut quà programmatis publicis, quà viva voce, eam tanquam à Catholica Fide alienam planè, atque adeò hæreticam, paſſim traducerent? Sane ex eorum clamoribus eſt factum, ut hominis fama atque exiſtimatio laceretur ac jaceat undique, velut cujus religio fidesque ſuſpectiſſimæ ſint, quique ſuis potius compendiis, ac favori magnatum, ſeu Principis, ſtudeat, litetque, quàm veritati.

Theol. Non eſt tam facilè ſiniſtrè judicandum de mente ſcribentium: neque diſſimulandum, diſputationis initio ab illis, Veldioque inprimis in hac re nonnihil fuiſſe exceſſum. At condonandum aliquid illorum zelo fuit; re nimirum necdum ſatis tunc examinata, unisque inſiſtentes Concilii Tridentini

apertiſſimis, ùt opinabantur omninò, ac decretoriis verbis, facilè crediderunt inquieti hominis doctrinam, qualem ad eam uſque diem in Lovanienſibus Scholis proponi non viderant, manifeſto errori incubare: obſiſtendumque adeò illi eſſe totis viribus ac tempeſtivè, ne diſſimulatione, comperendinatione-neque, paulatim invaleſceret.

Med. Carò admodum ſtetit Veldio, optimo ſcilicet viro, ſuus zelus ac præcipitatio; cavebitque reor, deinceps, ſuo edoctus malo à cenſuræ facilitate tanta. Ut quid enim tàm acriter inſectari opinionem, quam tot alii etiam à Catholicis tradidêre?

Theol. Nihilominus Viri factum, ac vindicandæ religionis ardens ſtudium plerique probârunt ac laudârunt ſummoperè; ùt qui pro antiquis veriſque principiis murum ſe aheneum præbuiſſet. De reliquo quod in Veldii programmate præ cæteris diſplicuit illud eſt; quòd ſuam opinionem, Platanæ contrariam, *fidei dogma* vocaret; quòd de Civilibus Legibus loqueretur non admodùm circumſpectè & reverenter; quòd denique *omnem de matrimonio ſtatuendi auctoritatem jam pridem ſibi meritò reſervâſſe Eccleſiam* aſſereret: hæc, inquam, præ cæteris diſplicuêre; nec poterant porrò dici in rem Principis inopportuniùs; cùm eo ipſo tempore de condendis nuptialibus quibuſdam ſanctionibus conſilium agitaret, eſſetque eas publicaturus propediem. Et quidem Veldii inconſiderantiam temeritatemque

paſſim vociferabantur ejus adverſarii ; dum contrà alii infinito numero dicerent , non minori fortaſſis jure ; tunc inprimis loquendum Doctoribus eſſe, dum de condendis legibus agitur, deliberaturque , non undequaque tutis, Eccleſiæque vim atque auctoritatem acciſuris , ac nocituris fidei , ſeu vigori diſciplinæ. Sic nimirùm *rapitur* ſemper , ùt Poëta canit, *ſtudia in contrario vulgus*; & quod laudat unus, vituperat alter.

Med. De ea Principum poteſtate , neſcio quî dubitari à quoquam valeat : tam ea res mihi videtur clara & certa.

Theol. Mihi quoque talis habetur ; ſed in hac re una totus nodus non conſiſtit.

Med. Eccleſiam hoc ſibi jus reſervâſſe, aut reſervare etiam potuiſſe , gratis omninò aſſeri , cum Boilæo exiſtimo. Principum vel maximè eſt de matrimoniis curare , ùt à quibus Reipublicæ bonus ordo ac felicitas , tranquillitasque , magnoperè dependeant. Et ſi conditiones quaſdam, ſolemnitatesque, præſcribere poſſunt, ſervandas in contractibus aliis ; emptione , venditione , promiſſione , donatione , teſtamentis ; imò præſcribunt , exquiruntque reipsâ , ùt notum eſt, à quibus eorum valor , etiam coram Deo , dependeat; cur id non valeant in matrimoniis , pactione videlicet omnium graviſſima, quâ non de fortunis modò , ſed de cor-

poribus etiam ac libertate convenitur, & in qua tamen tam facilè erratur, cur, inquam, conſimiles conditiones, modosque, ſeu ritus certos atque politicos, apponi jubere non queant, qui ſi non obſerventur nullam habeant vim, neque coram hominibus, neque coram Deo, neque ùt Contractus Sacer, neque ùt Civilis, neque ùt naturalis?

Theol. Tu rem decidis tam promptè ac imperiosè.

Med. Nimirùm res ea aperta mihi videtur, nec dubium pati ullum.

Theol. Non omnia videmus ſinguli: nam alii, iidemque non ſpernendi viri, dixêre, ſanctiones Principum quas de nuptiis edunt, civiles tantummodò earum effectus contingere, non Sacramentum ipſum; quod, inquiunt, iis non obſtantibus integrum reverà manet & intactum, quamdiu Eccleſia hujuſmodi leges Principum necdum fecerit ſuas.

Med. Sacramentum ita contractui inſiſtit, ut ſi ille non valeat, iſtud quoque locum habere minimè poſſit. Quòd autem contractum, ùt vocant, *naturalem* illi diſtinguunt à *civili*, in una eademque pactione, id quidem, me judice, apud eas ſaltem gentes, quæ reguntur legibus, locum non dicendum eſt habere, quippe ubi hæc omnis conventio coalet in unam; quemadmodum in emptione, venditione fieret: ut adeò hoc videatur longiùs ſubtiliùsque quæſitum atque inventum, quàm veriùs.

Theol. Et tamen hanc ipſam diſtinctionem invenio placuiſſe non paucis, Gerbeſio, Sambovio, Cabaſſutio, Gervaſioni, Payo; quorum & poſtremus rem prætereà declarat quibuſdam exemplis, non confictis illis, ſed occurrere ſolitis, ut proinde hoc diſcrimen non ſit explodendum tam levi pede: maximè cùm utraque poteſtas Sæcularis & Eccleſiaſtica in fidelium matrimonia certò certiùs aliquid valeat.

Med. Chriſtiani veteres, quas leges invenêre in Imperiis, in quibus degebant ſi modò à recta ratione & pietate, reguliſque Evangelicis non deviarent, etiam matrimoniales, obſervabant ultrò, ut civium cæteri. Imperatores autem, poſtquam Chriſtiani effecti ſunt, varia & ipſi de nuptiis ſtatuêre. Opus eſt dumtaxat conjicere oculos in Codices Theodotianum & Juſtinianæum, ubi plurimas de hac re leges offendimus; quarum plures tantum abeſt, ut Eccleſia reprehenderit, ut ad eas potiùs Patres Pontificeſque provocaverint, velut ſanctiones, quibus Eccleſia ipſa obligaretur ac ſubjaceret.

Theol. Qui primùm hanc de Impedimentis Matrimoniorum ſtatuendi poteſtatem videri potuerat abjudicâſſe Principibus Veldius, eam demùm ipſe cum Collegis ſuis quatuor in iiſdem agnovit in Annotationibus ad Marantianam Theſim magna deliberatione appoſitis, atque à ſingulis illorum proprio nomine ſubſignatis; dum ibidem ad Concluſionem

etiam Numero 40. edicunt apertiſſimis verbis, ſe non negare Principi in Matrimonia fidelium poteſtatem competere, & quidem talem, quæ *de omni effectu etiam Sacramenti* intelligatur: faſſi præterea ingenuè, ſe Chriſtiani Lupi Opinionem paulò aliter ſentientis, aut ſaltem ſe enuntiantis, minimè amplecti: quanquam pro cautela addunt deinceps, eam ipſam ab ſe propoſitam doctrinam non eſſe undiquaque certam, ùt quæ inter tractatores diſceptetur, cuique refragentur cum Sancto Thoma non pauci. Ajunt verò ſe hoc idcircò cenſuiſſe adjiciendum, ne aut inſcitiæ, aut etiam forſan adulationis notam incurrant, ſi ùt certam proponerent opinionem, quam omnes nôſſent inter eruditos adhucdum diſputari.

Med. Ita, mi Valentine, à nimia diſputandi de rebus ferè omnibus licentia ad extremum eò deventum eſt apud Scholaſticos, ut certiſſima quæque habeantur pro probabilibus. Ego uno verbo quæſtionem abſolverem dicendo; & Principem de Matrimoniis ſtatuere poſſe, quoniam contractus ſunt civiles, & Eccleſiam, quia Sacramentum. Et quidem Principem inprimis hoc facere pro ſuo munere; has pactiones ordinare debere quibuſdam legibus, à quarum præſcripto illarum valor dependeat, quem ſi non habent civiliter, nec Sacramento locum dari niſi expreſſiſſimis verbis aliter utraque poteſtas declaraverit; ad eundem modum, quo non eſt Sacramentum ſi in Baptiſmo deficiat aqua aut neceſſaria

ablutio;

ablutio; quod Theologi vocant *materiam*. Habes en paucis, quomodò ſentiam: non ego Sanchezium, Boſcoum, Pontiumve; non Launoïum aut Gerbeſium, ſeu alium quemquam id genus ſcriptorem evolvi unquam: ſed ſi quidem judicii ſaltem aliquid habeo, ex una ſimplicique ratione, tam, ùt videtur, planâ ac facili, ad hunc modum ſententiam ego edicerem.

Theol. Plati ſaltem Lucubratiunculas & Mazierii hac de re evolveris: nam in animum inducere minimè queo, alioquin te hominem Medicum, atque ab Theologicis, Legalibuſque diſciplinis non niſi leviter afflatum, opinionem pronuntiaturum expeditam adeò & accuratam.

Med. An Platum legiſſe oportet, ut judicium quis ferat, in re tam per ſe perſpicua ac rationi conſentanea?

Theol. Bene habet hucuſque; ſed quod ille inſuper contendit, Eccleſiam in Matrimoniales contractus nihil omninò juris habere per ſe, id enim verò durum cenſeatur, audax, ac temerarium aſſerere.

Med. Poteriſne recitare, quid in eam rem ſanxerit Synodus Tridentina?

Theol. Etiam. Seſſione 24. Can. 4. ſic enun-

tiat; *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis errâſſe; anathema ſit.* Et rursùs Canone 12. *Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos; anathema ſit.* Quod autem diffinivit hæc Synodus Eccleſiam poſſe, hoc ipſum facto & oſtendit; tum quando Raptum Clandeſtinitatemque impedimenta deinceps fore decrevit, quæ nuptias dirimerent; tum quando alia multa ſancivit de Cognatione & Affinitate, quà naturali, quà ſpirituali; de Divortio ob adulterium, de Matrimoniis filiorum familias inconſultis, aut invitis, Parentibus, & alia hujuſmodi multa.

Med. Launoïus eo loci per *Eccleſiam* Principes intelligit. Ejus verba ante paucos hos dies, cùm fortè Rapſodum quodpiam opus in manus meas veniſſet, in quo habebantur, execrpſi: ſapiebant enim mihi exoticum quid. Vis ea ſemel prælegam? habeo ſchedam in ſacco.

Theol. Fac. Ignota quidem neque mihi ſunt; ſed ſi annotâſti, in expendendis illis, intelligendiſque, minùs aberrabimus.

Med. „ Eccleſia verò, inquit pag. 292. Operis „ quod inſcripſit: Regia *in Matrimonium poteſtas*, „ à Conciliis, à Patribus & à Theologis, quo tem„ pore Tridentina fiebat Synodus, definitur: fide-

„ lium ſeu Catholicorum Congregatio." Eo poſito principio hanc deinde concluſionem adjicit pag. ſeq. „ His autem ita conſtitutis non minùs facilè, quàm „ rectè intelligitur, quomodo Eccleſia potuerit impe- „ dimenta matrimonium dirimentia conſtituere, & „ reipsà conſtituerit; nempe per reges, alteram „ Eccleſiæ perſonam, illa potuit conſtituere & „ conſtituit. Sic igitur [addit] ad Perſonam rega- „ lem flexo *Eccleſiæ* nomine, Tridentinis Canoni- „ bus ſua conſtat veritas, & contra imperitum „ novatorem [de Luthero loquitur] impedimen- „ torum matrimonii diſciplina retinetur & aſſeritur." Ita ad verbum Launoïus; cujus doctrina eatenùs mihi ſemper viſa eſt ſingularis.

Theol. Ante Launoïum, quod ſciam, nemo Catholicus Tridentini de Eccleſia hìc loquentis verba ſic eſt interpretatus: ac non ſingularis tantùm, ſed inſulſa quoque ea interpretatio eſt, nullaque ratione aut auctoritate fulta. Planum eſt namque, quandocunque de Eccleſiæ juriſdictione ac poteſtate ſermo eſt, hoc de ejus primoribus Conciliis, Epiſcopis, Clero intelligi, utì adversùs Launoïum, præter Auctores quos laudavi paullò ſuperiùs, (*) Juveninus quoque olim ac nuperrimè Payus, demonſtrârunt, quorum poſtremus præſertim validiſſimè Launoïum exagitat in recenti Opere, *De utriuſque Poteſtatis auctoritate*, tomo ſecundo versùs finem.

(*) Jeunin.

Med. Neſcio, an Launoïus ipſe huic ſuæ expoſitioni ſatis fiderit, vel ſincerè fuerit atque ex animo aſſenſus.

Theol. Nemo, quod ſciam, jam hodie uſque adeò deſipit, ut per *Eccleſiam* intelligendos Principes cenſeat. Tolerabiliùs eſt, quod Launoïus priori ſuæ reſponſioni non certam ſcilicet fidem, perſuaſionemque, adjiciens mox addidit, Eccleſiam habere eam poteſtatem non jure ſibi proprio, ſed participato à Principibus; etſi, ut ingenuè hoc fatear, videantur Sacroſanctæ Synodi verba plus aliquid comprehendere.

Med. Ego Marantianæ Theſeos ſapientiſſimam moderationem, doctrinamque impensè laudo, quæ Concluſione 3tia proponitur his verbis: „ Conven-„ tio hæc matrimonialis tantoperè ad civium feli-„ citatem, Reipublicæ incolumitatem, animarum-„ que ſalutem conducens, legibus dirigi debuit, „ ac limitari. Quà contractus eſt ac civitatem con-„ cernit, Princeps ſtatuit; quà Sacramentum Ec-„ cleſia. At verò vel in ipſo limine tractatores inter „ exurgit diſceptatio, quouſque hæc Eccleſiæ po-„ teſtas ſe extendat; an propria ſibique intrinſeca „ ratione ipſum præviè afficere poſſit contractum." Deinde certa diſtinguere ab incertis ſatagens, „ Certum, inquit eſt, 1o. Principem Chriſtianum „ æquè de ſubditorum matrimonio ſtatuere poſſe ac „ infidelem. Certum 2o., hanc Principis poteſtatem

„ in ſubditum tum fidelem, tum infidelem, extendi;
„ etenim fidei Chriſtianæ ſuſceptio nulli Majeſtatico
„ juri reſtrictionem intulit, neque poteſtas è fidei ſuſ-
„ ceptione profecta, alteri poteſtati, quæ & ipſa à
„ Deo eſt [ad Rom. Cap. 13. ℣ 19.] contrariam
„ præſcriptionem. Rejicienda igitur [addit] indeco-
„ ra atque ipſi injurioſa Eccleſiæ quorumdam Sæc.
„ XVI. ſententia, Eccleſiam omnia matrimonium
„ impedientia ſtatuendi ſibi jus uſurpâſſe. Caſti-
„ ganda quoque modeſtioribus quidem verbis con-
„ cepta, re tamen in idem abiens, Chriſtiani Lupi
„ dictio: Eccleſiam jam pridem omnem de matri-
„ monio ſtatuendi ſibi reſervâſſe auctoritatem; quaſi
„ quis ad alienam quid poteſtatem, nec ſibi ſubdi-
„ tam ſpectans reſervare poſſit. Factorum viciſſitu-
„ dinem ſi inveſtigemus, etiam poſt plantatam Chri-
„ ſti Religionem à Principibus latæ occurrunt im-
„ pedimentorum leges, ab Ambroſio Auguſtinoque
„ dilaudatæ. Si ad medium deflectamus ævum,
„ ſolam ferè ùt in pleriſque aliis ad regimen politi-
„ cum, vel in totum, vel pro parte ſpectantibus
„ Eccleſiam reperimus matrimoniorum leges ſtatu-
„ entem. Spectat huc Eſpenii parte 2. Sect. 1. Art.
„ 13. Cap. 1. doctrina, & Trident. Seſſ. 24.
„ Canon 4tus... Præcipiti nimis deductione quis ex
„ eo ſententiam ſuam Eccleſiæ poteſtatem impedi-
„ menta ferendi ſibi connatam, & à ſuo inſtitutore
„ ortam, ad fidem ſpectare definierit: fidei enim
„ illud dogma non eſt, nec proinde odioſâ hæreſis
„ conſpergendi notâ, qui opinioni contraria cal-

„ curſum ſuum adjiciunt." Ac demum concludit hoc modo: „ Fatendum eſt, Concilium non defi-
„ niiſſe, utrum ex Chriſti inſtitutione, vel utrum
„ ex Principum indulgentia tacita vel expreſſa hæc
„ auctoritas inducendi impedimenta dirimentia Ec-
„ cleſiæ competat." Quæ poſtrema verba ex Eſpenio laudata ab ipſo opportuniſſimè ſunt, atque uno breviſſimo commate, quid in hac re ſit ſentiendum, quid credi debeat, quid valeat abſque fidei ſaltem diſpendio diſputari, aperiunt.

Theol. Nihilominùs quæ ex Marantiana Theſi modò recitâſti, probata necdum, ùt audio, Doctoribus illis quinque Anti-Platanis ſunt. Varia imò ex illis annotârunt parùm, ùt ſibi viſum eſt, accuratè poſita, dictaque, quædam etiam ceu aliena à veritate. Verba eorum ex parte accipe; recitabo è ſchedula manuſcripta, quam habeo me penès.
„ Firmiter, inquiunt, perſuaſum eſt, fidei dogma
„ in antecitato Canone [4to. Seſſ. 24. Concil.
„ Trident.] definitum, Eccleſiæ competere pote-
„ ſtatem impedimenta Matrimonii dirimentia ſta-
„ tuendi. Perſuaſum quoque habemus, Eccleſiam
„ jure ſuo poteſtatem illam exercere, & in hoc
„ ſenſu eundem Trident. Canonem eſſe intelligen-
„ dum. Igitur, addunt, prohibet conſcientia, ne
„ Eccleſiæ poteſtatem conſtituendi impedimenta
„ dirimentia ùt incertam habeamus, aut aſſeramus
„ non eſſe de fide; prohibet quoque ne eam ùt à
„ Principe mutuatam ſuſtineamus, aut dicamus non

„ eſſe fidei dogma, Eccleſiæ poteſtatem impedi-
„ menta dirimentia ferendi ſibi connatam, & à ſuo
„ inſtitutore ortam, ne contra ſenſa noſtra dictum
„ Canonem exponere cogamur."

Med. Semel iterumque doctrinam Platanæ oppoſitam *fidei dogma* vocant, aſſeruntque eſſe *de fide*; quid ſupererat niſi ut Platum conceptis verbis pronuntiarent hæreticum, cæterosque omnes quotquot ſentirent cum ipſo?

Theol. Non eò tamen uſque progreſſi ſunt, moderatione uſi atque prudentiâ, hac ſaltem in parte.

Med. Ego imprudentiam hic potiùs & contradictionem videre mihi videor: certè parùm deinceps locuti ſunt ad poſita abs ſe principia conſequenter. An non enim qui fidei dogma aliquod repudiat, immò impugnat, habendus eſt hæreticus? Ut adeò in nuperrimo libello, quem *Canonicum Pœnitentiarium* vulgò nuncupant, hanc ob rem quinque illi Doctores enormiter vapulent, traducanturque in ridiculum, tanquam qui metûs causâ, illaudandæque aſſentationis, ſic ſuam doctrinam temperent, ut contradicant interim ſibi, dejiciantque è veſtigio, quod vix ædificaverant.

Theol. Quod laudas Opus hucuſque non vidi. Qualecunque illud eſt, certè hac in accuſatione ejus auctor aberrat à verò. Qui fidei dogma aliquod

rejicit habendus eſt hæreticus dubio procul : modò fidei dogma eſſe certò conſtet, atque ùt tale habeatur, proponaturque ab Eccleſia, necnon prætereà adſit obſtinatio in rejiciente. Sed pergam recitare ipſis eorum verbis, quod deinceps illi adjecêre iis, quæ tibi prælegi è veſtigio.

Med. Avidus ſum audire.

Theol. „ Verumtamen, ajunt, cùm hactenus „ Eccleſia hæreticos non declaraverit eos, qui te- „ nentes eſſe fidei, Eccleſiæ competere poteſtatem „ circa impedimenta dirimentia, eam tamen putant „ ex Principe mutuatam, nos quoque ab odioſa „ hæreſeos nota, quandiu Eccleſia ipſos non inuſ- „ ſerit, ſedulò cavebimus." Et poſt pauca : „ Pa- „ ratos nos offerimus ad propugnandum hæreſeos „ notâ hactenus non eſſe conſpergendos eos, qui „ tenentes fidei eſſe competere Eccleſiæ poteſtatem „ circa impedimenta dirimentia, eam tamen putant à „ Principe mutuatam." Sic quoque ex Quinque-Viris illis ſenior Ghennius in Theſi defenſa anno 1784. 10. Xbris., ubi Concluſione prima versùs finem hæc habet : „ Etiamſi ſententia Launoi circa „ poteſtatem Eccleſiæ ſtatuendi impedimenta diri- „ mentia, nobis videatur ægrè poſſe conciliari cum „ definitione Tridentini, equidem eam ſuſtinentes „ hactenus hæreticos dicere non audemus, niſi eos „ tales Eccleſia declaret."

Med. Eadem ferè ipſa legiſſe memini apud *Pœnitentiarium*, nec non in Libello altero, neque inutili, neque injucundo, cujus titulus eſt : *Rélation abrégée de la conteſtation élevée dans l'Univerſité de Louvain au ſujet de la puiſſance à qui appartient le droit d'oppoſer des empêchemens dirimans au contrat civil du mariage;* Cæterùm ſuſpicatus primùm fuerat Platus, quoniam *Pœnitentiarii Canonici* libellus anonymus prodiit, & antiqua de Janſeniſtis calumnia in eodem identidem repetitur, Fellerii fœtum eſſe, quem idcircò ſcommatis, convitiisque oneravit ridiculo libello : hominem *Caput demens*, ſeu *ruptum vacuumve* vocans, ad nomenclationem ejus Gallicam alluſione facta [*Feller*, *Tête-felée*] parùm enimverò modeſtè ac ſobriè. Verùm ultrò proteſtatus Exjeſuita laborioſiſſimus, doctiſſimusque pro ſolito ſuo candore eſt, palàm in ſuo Diario, ſe ejuſdem Opuſculi auctorem minimè fuiſſe, exiiſſe dudum in publicum, priuſquam vel noviſſet quidem illud ex titulo : expoſtulatus prætereà de fama ſua ab Lovanienſi Ariſtarcho malè habita, lacerataque ſinè cauſa, cum minis, nî injuriam tempeſtivè repararet, imploraturum ſe æquitatem legum judicumque, atque adeò curaturum, ut vindicaretur ipſe innocuus, puniretur pro meritis reus.

Theol. Riſi quum hæc in Luxemburgenſibus Ephemeridibus legerem; & ajunt ab illo tempore modeſtiorem nonnihil factum Platum : nec tot ampliùs ſalibus ſua ſcripta adſpergere.

Med. Fortaſſis vulgi quoque cenſura ad hoc aliquid fecerit, nec non ſatyricus ille, quem nôſti, Verſificator..... Porrò in eo *Pœnitentiarii* libello, quem jam legi facilè quinies aux ſexies, Auctor illius, quiſquis eſt, cachinnos movet, dum expendit, ſemel iterumque [quod dicebam ſtatim adhuc] Antiplatanos Doctores aſſerere, quod *fidei dogma* ſit, dictam ſæpiùs in matrimonia poteſtatem Eccleſiæ competere jure ſibi proprio atque *connato*, non precario, mutuatove à Principibus: & tamen mox addere, ùt recitâſti, in iiſdem ſuis Animadverſionibus; ſe hæreſeos notâ opinionem illorum, qui adverſam tueri velint ſententiam, minimè adſpergere: tamquam hæc eorum benignitas ab adulandi ſtudio proceſſerit, parùmque conveniat cum poſitis abs ſemet principiis, & cum veritate ipſa. Ego quoque ipſe, mi Valentine, quidquid dixiſti ſtatim in eorum qualemcunque defenſionem, quomodò illorum aſſerta ſibi conſtent, non intelligo: tam obtuſum mihi ingenium eſt; tu me juva ulteriùs, & quæ de fidei dogmatis, eorumque natura perſtrinxiſti paucis, parumper amplia & elucida. Licèt enim quomodò Doctores illi quinque ſibi non contradixerint, necdum video; in animum tamen inducere minimè poſſe fateor ex alia parte, Viros illos eximios, in diſputandi, diſtinguendi, dividendi, immò cavillandi vitilitigandique arte, ùt ſcis, tam probè exercitatos atque excultos, loquuturos fuiſſe in tanti præſertim momenti re, unde ſua quoque exiſtimatio pendebat, non cohærenter & verè; maximè poſt tam longæ moræ graviſſimam deliberationem interpoſitam.

Theol. Multa de iſtius Opuſculi temeritate & audacia dici audivi, licèt hucuſque necdum legerim. Quin, ajunt, ejus lectionem ab ſæculari poteſtate ſeverè prohibitam; quippe in quo non tolerandâ petulantiâ, & Magiſtratus, & Conſiliarii, & Abbates, & Epiſcopi, & Patriæ Ordines univerſi, ac poſtremùm Princeps ipſe ſupremus, arguantur, vellicentur, pexantur: traducanturque paſſim velut homines ſacrilegi, perfidi, proditores, tyranni...., ut adeò ad habendum hunc librum non multùm laboraverim, atque an ſim aliquando lecturus, adhuc ignorem: neque mirer, Platum, cujus aures in eo naſusque perfricati dicuntur paullò intemperantiùs, adversùs illos quos Auctores ejus fuerat ſuſpicatus, invectum fuiſſe tam liberè ac protervè. Hoc addo, quoniam ejuſce libelli auctor dicitur pepercíſſe nemini, ac malè loqui ferè de omnibus, ſæpe ſinè ratione; non admodùm fidendum eſſe ejus ratiociniis, *neu* accuſationibus: quas nec ipſi quidem Quinque-Viri bonæ cauſæ defenſores evadere potuerunt apud Momum hunc ſeditioſum. Sunt quidem in illorum Doctorum ad Marantianam Theſim Annotationibus quædam, quæ neque ipſe omninò probarem: attamen quarè in præſenti illa redarguantur tanquam qui cauſam prodiderint, turpi adulatione, aut ſibi-met ipſis contradixerint, mihi crede, Theophraſte, nihil eſt. Quod ut intelligas, unàque liqueat, ab tumultuario Scriptore Eximios illos Viros hâc ſaltem in re ſinè ratione traduci; ſcire oportet, non omnia, quæ quis æſtimaverit à Deo eſſe reve-

lata, ſeu in revelato dogmate contineri, idcircò ad fidem pertinere obligantem atque Catholicam. Audi Ghennium in laudata ſuperius Theſi hæc paucis complectentem Concluſione Iª. : „ Præter revela-
„ tionem, inquit, requiritur Eccleſiæ propoſitio,
„ ut quis pertinaciter diſcredens, dicatur hæreti-
„ cus; nec notâ illâ ſtatim inurendus eſt ille, qui
„ quidquam ſuſtinet contrarium ei, quod aliis for-
„ ſan etiam probabiliùs, videtur eſſe deciſum."
Ex quo deinde principio conficit, ſententiam Launoi, licèt videatur multis ægrè admodùm poſſe conciliari cum definitione Tridentini, tamen hactenus non videri dicendam hæreticam. Sæpe diſputatur, revelatumne reverà à Deo aliquid ſit, atque ab Eccleſia tanquam tale propoſitum, an non, in diverſa abeuntibus Theologis. Adhæc accidit non rarò, convenire omnes de Dogmatis exiſtentia, diſſentire verò in eodem explicando. Atque illud ipſum eſt, quod in præſenti quæſtione occurrit. Dogma admittunt Catholici omnes adversùs Lutherum, poſſe Eccleſiam impedimenta matrimonium dirimentia ſtatuere, neque illam in iis conſtituendis erraſſe; ſed faciatne illa hoc, aut facere potuerit auctoritate propria, an mutuatâ tantùm à poteſtate ſæculari, hoc enimverò non apertè deciſum eſt, neque ab Eccleſia, ùt plerique arguunt, ceu tale credi propoſitum; nonnullis id factum negantibus; Eccleſiâ quoque ipsâ, hucuſque ſaltem, non magnoperè, neque apertè reclamante. De Dogmatis ſenſu quæſtio eſt; quem non alium eſſe, quàm

ſuum, Doctores illi quinque veriſimillimè exiſtimant, atque eatenùs ſuam ſententiam de fide eſſe dicunt; ſed quoniam Catholicorum tamen Scriptorum quibuſdam aliis id minimè viſum eſt, eam ob cauſam indeciſa manet lis, nec eſt ea res de fide Catholica & obligante. Jam, credo, facilè videbis, quomodò Anti-Platani Doctores, quantùm ad hanc rem attinet, in ſuis ad Maranti Theſim Animadverſionibus ſecum minimè pugnent, nec ridiculos ſeſe præbeant, dum opinantur ſuam ſententiam à Concilio ſatis liquidò eſſe propoſitam atque deciſam, nec tamen aſſerere audent, adverſam opinionem hæreticam eſſe, aut adverſarios ſuos errore hæretico infectos. Hi enim & Dogma ipſum cum illis agnoſcunt ultrò, quantùm ad ejus ſubſtantiam ſpectat: ſed de Dogmatis tantummodò ſenſu negotium faciunt, ùt fit in aliis Quæſtionibus bene multis ſinè fidei ullo diſpendio; parati interim, ùt credere de illis fas omninò eſt, eorumque candor ac pietas, humilitaſque jubent, opinionem iſtam ſuam deponere è veſtigio, ubi Eccleſiæ ſic fuerit viſum. Lege, ſi habes, Muratorii Opus *de Ingeniorum moderatione in religionis negotio*, Lib. I. Cap. 12. atque alibi; ubi hæc omnia perſequitur pluribus doctè pro more ſuo & ſolidè; quem librum vellem hâc tempeſtate Lovanienſes inprimis Profeſſores ſedulò legerent. Diſcerent ex eo, quàm ſæpe fiat, proprias noſtras præjudicataſque opiniones pro Dogmatibus fidei à nobis haberi; quouſquê item de Theologicis rebus ſe diſputandi extendat libertas; quomodò in judicandis

ſratribus, eorumque accuſanda fide, condemnandaque, Eccleſiæ judicium non liceat antevertere; quid pro dogmate haberi debeat, quid pro opinione Theologica; ac denique quomodò ſupra omnia & in omnibus in quærenda, tuendaque, veritate ſervanda ſit, quæ nunquam excidere debet, caritas.

Med. Nunc aliquouſque intelligo, quod anteà latebat me quo pacto valeat componi. Eſt Muratorius hic idem ipſe, reor, qui *de vera devotione* perpulchrum librum ſcripſit, Vir, ni fallor, Italus hujus ævi Scriptor Celeberrimus. Ceterùm in mentem venit, ea ipſa fere ante annos multos me legiſſe in Veronii *Regula fidei*, quæ de natura Dogmatum, ſervandaque in illis diſputandis moderatione è Muratorio ſtatim monuiſti.

Theol. Eſſet Veronii libellus, utì ille Muratori, in præſentibus controverſiis lectu utillimus, illumque doctiſſimi olim, laudatiſſimique, fratres duo Walenburgenſes, Hæreticorum Maſtiches, multis modis commendârunt, noviſque etiam typis communiorem reddiderunt.

Med. Verùm, Valentine, ſic ferè non cogitantibus nobis ſermo hic noſter, quem familiarem eſſe oportuerat, in Theologicam, Scholaſticamque diſputationem evaſit; quando nihil ego minùs quàm Theologus ſum, licèt olim, priuſquàm Medicæ me arti addicerem, menſes nonnullos togâ indutus nigrâ

inceſſi, ſubque Epiſcopio [*Biſſchop*] Diſcipulus & Auditor exſtiti. Iſte, quod nôſti, Vir erat doctus cumprimis, ac ſolidæ Theologiæ contra pleroſque Collegas promotor ac vindex acerrimus; verſatus non parùm in Eccleſiaſtica antiquitate; Plato, quùm viveret, perquàm amicus ac familiaris. Reor, ſi adhuc viveret, Plati, Marantique partes non adeò fuiſſe abominaturum, nec ſententiam, quam illi tuentur, tam promptè fuiſſe inſimulaturum *manifeſti erroris*: maximè cùm Marantus cum ſuis non omnem Eccleſiæ in Matrimonia poteſtatem, etiam propriam abjudicet; ſed dicat non omninò certam rem illam eſſe; imò addat apertiſſimis verbis illam ſtatuere de nuptiis, quà Sacramentum ſunt; Principem, quà contractus.

Theol. Sine quieſcere defunctorum manes: ille jam reddidit rationem apud Deum eorum omnium, quæ fecit, docuit, dixit, cogitavit. Fortè ſi fuiſſet his diebus in vivis, nunquam ſuſcitata à Plato ea fuiſſet controverſia, quippe qui illum reverebatur, nec ſinè ejus conſilio facilè aliquid agitare conſueverat. Epiſcopius autem quàm erat in ſuis opinionibus liber, tam parum quoque metuebat aut ſectabatur aulam. De cætero quid de hac re diſputamus tamdiu? nos abſolvendam illam quæſtionem relinquamus illis, qui ſuſcitârunt: ego ſpectator ero certaminis pacificus, neutrique parti ſtudebo præ altera.

Med. Bene haberet, ſi in mera ſpeculatione illa verſaretur, ac praxim ipſam minimè afficeret: ſed poſt Edictum illud Principis de Nuptiis celeberrimum, quod totum Catholicum orbem in admirationem ſua novitate compulit, ſtatuendum omninò in alterutram partem eſt; ne alioquin in incertis verſentur omnia, nupturientesque, & qui nuptiis præſunt, Paſtores paſſim hæſitent; dum alii priſcis Eccleſiæ legibus adhærere volent, alii ſequi Decretum Principis; id quod publicum ordinem, tranquillitatemque, aut ſaltem conſcientiarum pacem turbaturum certò certiùs eſt, nuptiis aut illegitimis, aut dubiis, ſacrilegisve. Ohe! mi Valentine, quantum heinc malorum! quot incommoda! ſcrupuli animorum quanti! felicem te, qui ab cura animarum liber uſque es, & manebis porrò, ſi tuum ego conſilium noſco [ùt noſſe reverà arbitror] ſemper!

Theol. Imperator quæſtioni finem veluti impoſiturus, nodum, qui diſputationibus exſolvi minimè, aut non niſi difficulter, longâque morâ; poſſe videbatur, quemque imò diſputatores, ùt ferè fit, nectebant, intricabant, adſtringebant magis magiſque; nodum, inquam, audacter ſecuit, marte proprio, nec dubio acinace: ſatiſne prudenter & cautè, vel etiam religiosè, videant qui id conſilii ei ſuggeſſêre. Præſtabat ſanè, immò fas erat ac jus, tanti momenti legem non condere ſinè conſilio ac deliberatione Cleri atque Eccleſiæ: quod ſi fuiſſet factum, dubiis non erat locus, resque ipſa omnis proceſſiſſet optimo ordine, conſen-

conſentiente in novas leges utraque poteſtate, Eccleſiaſticâ & civili; ad quem modum novimus medio potiſſimùm ævo Chriſtianos Principes, Francorumque inprimis Reges ac Imperatores, pleraque ſanciviſſe etiam ad Religionis diſciplinam pertinentia, quæ *Capitularia* vocata ſunt; ſtudioſè nuper collecta à doctiſſimo Viro Stephano Baluzio.

Med. Noſtri, opinor, id ſtudiô prætermisêre, ut ne quacunque in re non abſolutè eſſet neceſſarium, Cleri tribunal ullo modo agnoſcerent, recurarentque hâc viâ rurſum jura, quibus olim Principes aut ultrò abdicârunt ſe aut, neſcio, quâ negligentiâ, conniventiâque ſuâ, ùt illi quidem autumant, ab Eccleſiaſticis fuerant ſenſim ſpoliati.

Theol. Sic ferè fit; & eſt arduum in medio præcisè ſe continere, vitato utroque extremo. Olim Clerus tractabat non res modò ſuas, ſed politicas quoque: nunc ex adverſo, contempto illo, Magiſtratus ſæcularis, non ſua tantùm recuperat ac vendicat, ſed ſacra invadit inſuper; quod quò verſurum denique ſit, neſcio.

Med. Nunc verò mihi dic, Valentine; quomodò difficultatibus illis, quas dixi, practicis apponi modus poterit? quid agent Epiſcopi? quid inferioris ordinis Paſtores?

Theol. Arduum quid ac difficile à me requiris.

Cæterùm, quia familiariter jam colloquimur, parumque adeò intereſt, in quam partem, modumve, ſententiam dicam : accipe quod cogito. Aut Epiſcopalis ordo ſive Eccleſia opponet ſe ſeriò & apertè Imperatorio Edicto [quod futurum minimè credo] & tunc conſtabit palàm omnibus fidelibus, quid ſibi ſit agendum, quærendaque una ſeu altera via erit componendæ, terminandæque, quæſtioni; aut connivebit Eccleſia, ſive ſequetur; & tunc illa legem Principis hâc ratione ſuam veluti faciet, concordiæ ſervandæ gratiâ evitandique Schiſmatis: quod ſi fiat, ſupplebitur ſpontè quod fortaſſis ad Edicti omnimodam vim integritatemque deërat. Adhæc dici ex aliorum ſententia poſſet [quod tamen, ingenuè dico, ignoro an ita ſit] quæcunque in Edicto illo ſtatuuntur afficere dumtaxat exteriorem politiam, effectusque civiles, non ipſum coram Deo matrimonii valorem ſeu Sacramentum. Sanè ita in Galliis rem ſe habere quantùm ad matrimonia filiorum familias ſinè aſſenſu Parentum ſeu tutorum inita, ùtùt ibi gentium ab Henrico IV. & Ludovico XIII. Francorum Regibus declarata invalida & nulla, teſtantur Scriptores ex illa natione multi, Colletus, Bonellus, &c., quamquàm iidem fatentur, rem ſecùs ſe habere in regii ſanguinis Principibus, iiſque præſertim, qui jure nativitatis ad ſolium proximè vocantur : quorum ſcilicet connubia ſinè Regio conſenſu inita nulla habentur penitùs, tum in ratione Sacramenti, cùm in ratione contractûs civilis : quòd ſic habeat ab antiquis valdè temporibus Gallicanæ Ec-

cleſiæ uſus, atque illè quidem multùm rationabilis, cùm plurimùm interſit Summorum Principum, ac Regnorum quoque quibus præſunt, quos affines agnatoſque habeant; quæ omnia diffuſiùs expendunt Launoïus, Gerbeſiusque; paucis verò complectitur, quem mox laudavi, Colletus.

Med. Tu clavem exhibes planè auream, cujus uſu omnis ferè illa difficultas tolli valeat, aut minui ſaltem.

Theol. Regium Edictum diſciplinam ſpectat duntaxat; non autem dogma aliquod. Illa pro locorum temporumque varia ratione varia eſſe poteſt, ac mutari; hoc nulli mutationi eſt obnoxium. Illa paſſim mixti eſt fori; dogmata ad Eccleſiam unam pertinent.

Med. Quin imò dixerunt aliqui, ipſos quoque Canones duos, ſuperiùs è Tridentino allatos, diſciplinares tantummodò eſſe; quique adeò vim non habeant, niſi Principibus æquî bonîque conſulentibus; quod tamen vix admiſero.

Theol. Launoïum intelligis cum ſequacibus uno vel altero. Sed illi diſtinguere debuerant, res duas omninò diverſas: poteſtatem videlicet condendi impedimenta, & illius uſum ſeu impedimenta ipſa: illa ad dogma pertinet, hæc diſciplinam ſpectant, quæ modò talis eſt, modò alia eſſe poteſt. Cæterùm nec

F 2

in diſciplinaribus ipſis rebus Eccleſiæ ſua poteſtas deëſt; Reſpublica eſt Eccleſia, quam proinde ſuas leges decet habere; ſpirituales nimirùm quæque Dei cultum & animarum ſalutem directè ſpectent; quæ Canonibus continentur; quorum Principes vindices ſunt, tutores, executores; non autem conditores.

Med. Verùm ajunt, Valentine, in Regio de Nuptiis Edicto quædam haberi, quæ dogma ipſum evertere, ac lædere fidem, videri queant.

Theol. Haud equidem credidero. Legi illud à capite ad calcem facilè decies, nec tale aliquid in eo deprehendiſſe memini.

Med. Matrimonium ſemel legitimè validèque initum, tùm & conſummatum; ad alterutrius conjugis arbitrium, immò ne utriuſque quidem, aut Principis vel alterius cujuscunque poteſtatis; diſſolvi ampliùs non poteſt: habes autem in Edicto ſub N° XXVI. conſtitutum his ferè verbis, latinè redditis: „ Si quæ Mulier matrimonio inito deprehen„ datur ab tertio quodam fuiſſe ingravidata ante „ contractas nuptias, matrimonium declarabitur „ nullum, ſi Vir tempeſtivè, mox atque eam im„ prægnationem intellexit, interpellaverit Judicem, „ docereque potuerit, ſe priuſquàm cum illa nup„ tias iniret, ejusce rei nullam habuiſſe notitiam." Vide, quomodò permittitur Viro qui extra culpam

fuerit, connubium reſcindere, reſciſſumque ac nullum Judici declarare. Quaſi ſemel initæ nuptiæ ſolvi adhuc valeant; ac veluti ſi ambulatoriæ eſſent, ab conjugis pendeat voluntate, ratas illas habere ac facere, aut nullas. Nuper quùm in conſortio quorumdam eſſem, plurimum riſum pleriſque eorum, qui aderant, hic Edicti articulus movit; aliis quibuſdam indignationem.

Theol. Ganeones certè erant aut Ἀναλφάβητοι; nam cordatioribus, credo, ac iis, qui ſapiunt paulò ſupra vulgum, aliter omninò ſe habere res illa videbitur. Matrimoniorum naturam hæc lex illæſam relinquit penitùs, multumque abeſt, ut poſtquàm rata ſemel fuerint, ipſoque etiam corporum uſu confirmata, velit eſſe reſcindibilia. Senſus legis hujuſmodi eſt; ſi Sponſa ante initas nuptias rem habuerit cum altero, conceperitque; atque uterum ex eo coïtu gerat, ignorante hoc Sponſo, quùm eam ſibi jungeret: connubium tale à bonæ fidei Sponſo ſic aditum, ab ipſo contractûs principio decerni ac fuiſſe invalidum, atque adeò ad querelas Viri ad hunc modum decepti, commonſtratamque criminis ignorationem, illud ab Judice tanquam tale eſſe declarandum. Et verò opus erat prorsùs in tanta Sæculi corruptione, filiarumque in admittendis procis facilitate tanta, lege nonnihil rigoroſiore, quâ compeſceretur illarum petulantia, metu futuræ infamiæ, atque indecori divortii.

Med. Nuper adhuc accidit, ut bonus quidam ruſticus nuptias iniverit cum filia itidem ruſtica, eâdemque non inelegante: quæ ſexto deinde menſe peperit geminos; cùm Vir ſuus, homo ſcilicet frugi ac honeſtus, ante initas cum ea nuptias, ne tetigiſſet illam quidem: Pater proinde duorum liberorum, quorum nec pilus unus ſuus erat.

Theol. Jubentur mariti, ſi beneficio legis uti velint, de hujuſmodi re ſinè mora monere Magiſtratum, qui, ſi ita ſe habeat negotium, innocentes homines ab intemperantibus, deceptricibuſque, feminis ſit liberaturus.

Med. Rectè, ſi novo conjugi de his ſit cura; ſed inveniri poterit inter illos nonnemo, qui de Sponſæ ſuæ, etiam poſt nuptias tantùm, detecta aliena imprægnatione, parùm ſit futurus ſolicitus, eandemque accuſare apud Judicem nolit; contentus nimirum de ſua Bertha qualicunque, paratus quoque alere alienum fœtum, ac tanquam ſuum habere: vivere & habitare cum lupa ſua ultrò, & ad finem uſque vitæ fideliter. Quid? quod contingere poſſit, ignorari in perpetuum impregnationem ejusmodi alienam, dum vel uno tantùm aut altero die crimen præceſſit nuptias, aut per abortum, ſtudio caſuve procuratum, celata eſt. Indè verò hoc erit conſequens, ut matrimonia paſſim habenda ſint dubia, aut etiam reipsà invalida; dum interim putatitii conjuges uti corporibus mutuis connubiali, ùt rebuntur, jure per-

gent, fornicatione continuâ. Erit ergò, ut ſæpe nuptiæ coram Deo ſint irritæ, ſolaque, quæ culpam admiſit ac celare novit, Sponſa hoc ſciat. Illane ſuum crimen prodere ultrò ac fateri apud maritum tenebitur? Neſcio, an vel una ſit commiſſura, ut hoc faciat.

Theol. Totam hanc rem tu inveſtigas multò profundiùs, quàm ego cogitâſſem ipſe, ipſive fortaſſis expenderint, qui Edictum concepêre. Cæterùm ex tota illa tua diſputatione id ſolùm conficitur; non omni prorsùs incommodo hanc legem vacare; quod non mirandum, cùm illud ipſum natum ſit accidere in aliis bene multis. Quâ igitur utuntur viâ Theologi, dum poſt contractas nuptias deprehenduntur impedimenta quædam alia, affinitatis, conſanguinitatis, ſupplendi conſensûs, &c. hanc quoque ineant in caſu præſente, niſi quod in hoc diſpenſatione nulla ſit opus, poſſitque maritus ultrò cedere ſuo juri, irritamque ab initio pactionem ſpontaneo conſenſu, &c. facere ratam; animæ ſuæ Directore interim conſulto, & quod ille juſſerit præſtito.

Med. Reor; filias deinceps, eas ſaltem, quæ nubere cogitant, in concedendo corporis uſu, fore difficiliores.

Theol. Atque hic legis præcipuus ſcopus eſt: contingebat enim frequenter, apud plebeïos præſertim, ut novus conjux poſt menſes omninò pau-

cos Pater exiſteret filii non proprii, ſed alieni: qua ex re quantum turbarum, diſſidiorum, litium, rixarum, oriri natum eſſet, naſcereturque indies, non eſt opus dicere. Tu qui Medicus es, eòque gravidarum ſubindè venas tangis, meliùs noveris, quàm ego.

Med. Aſſentior modò, Legisque æquitatem eatenùs agnoſco & video. Neque autumo, ſic riſiſſent illi, quos dixi, ſcurræ, ſi plus aliquid ingenii bonæque mentis habuiſſent; eâque fuiſſent uſi in fabulis ſuis moderatione, quâ erga leges Principum, Principesque adeò ipſos, uti par eſt ſubditos ſemper.

Theol. In omni hominum cœtu fieri plerumque aſſolet, ut quò quiſque à Magiſtratûs dignitate conſiliisque abeſt longiùs, eo ſit ad illi obtractandum propenſior: nimirùm cùm ejus ordinis homines ferè non ratione, non judicio, quo non pollent, ſed ſolis ſuis affectionibus ducantur, præjudicatarumque opinionum tumultuario impetu; ad præſentem ſe uſum fortunamque accommodare ſe ſemper & ubique cupientes; non poſſunt non ferre moleſtè ea quæ hisce ſuis judiciis, cupiditatibusque adverſantur imperia.

Med. Non eſt curandum quid plebs indocta, aut turbulenti quidam homines exiſtiment; ſed potiùs quid prudentiſſimi quique, quid viri ſapientiores, maturiores, graviores, oculatiores; nec oportet vanis vulgi clamoribus, dum de legibus, agitur,

ceù torrenti, quo abripiatur, bonum civem ſe permittere.

Theol. Opportunè hoc mones.

Med. Dixerunt alii quidam, Edicti ſaltem poſtremam partem ab Articulo L. ad finem uſque manifeſtis erroribus ſcatere, pugnare non cum Evangelii ſolùm & religionis certiſſimis dogmatibus ac diſciplina; verùm etiam cum legibus ipſis naturæ ac recta ratione.

Theol. Hem, qualis accuſatio! Hæc ſi vera eſſet, dignum profectò Edictum foret, quod traderetur flammis, aut in mille mille fruſta diſcerperetur. Digni prætereà Miniſtri Principis & conſilii hujus Suggeſtores, ut & gratiam, cui tam malè ſervierunt, Domini ſui amitterent, & incurrerent indignationem, munereque adeò ſuo, quo abuſi ſint, fortunisque exuti, aut patrio pellerentur ſolo, aut tetro perpetuoque includerentur carcere, aut denique ad exemplum terroremque aliorum, ac ſanctiſſimæ religionis vindicationem, ignominioſa morte tollerentur è vivis. At exiſtimo hos quoque, perindè atque illos priores, non ſat acutè vidiſſe, plusque habere loquacitatis, quàm judicii.

Med. Pone rancorem, Valentine; ſtultis indulgendum aliquid eſt; quamquàm an omninò ſtulti ſint dubito: ſunt enim in dictis Articulis quædam, quæ

cum noſtræ religionis principiis videri poſſint non admodum concordare.

Theol. Quemadmodùm non ſunt diſſimulanda legum vitia, dum aperta ſunt & clara; ſic nec fingenda, obtrudendave legiſlatoribus, ubi nulla admisêre. Non benè, ajunt, pars illa Edicti concordat cum noſtræ religionis, diſciplinæque, principiis. Non animadverterunt ſcilicet, quod illa non noſtræ communionis homines, ſed Acatholicos ſpectet.

Med. Edictum commune eſt, atque omnes complectitur Catholicos, Græcos Schiſmaticos, Lutheranos, Calviniſtas: quod ſignificatur in illius ſtatim principio, ac rursùm expreſſis verbis aſſeritur Articulo 49°.

Theol. Ita eſt; ſed qui deinceps ſequuntur Articuli reliqui ad quinquaſimum uſque ſeptimum ſolos ſpectare Acatholicos ipſummet Edictum declarat apertè.

Med. Verùm enim verò numquid non Chriſtianis omnibus eadem eſt matrimonii natura? Alia eſt nobis, alia iſtis? Numquid non generatim Servator de nuptiis edixit, præſertim iis, quæ inirentur ſub Lege Nova: *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet?* Et, *quicunque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit mœchatur?* Et Apoſtolus an non ait, mulierem alligatam eſſe legi connubii quanto

tempore Vir ejus vivit; & alia id genus multa in Novo Teſtamento? Hæc autem univerſa nonne Chriſtianis omnibus rata eſſe debent, ſancta, communia?

Theol. Indubiè.

Med. Quorsùm igitur conceſſa conjugibus tam ampla abs ſe mutuo diſcedendi libertas eſt? nec diſcedendi tantùm, ſed reſcindendarum quoque ipſarum-met nuptiarum, quantumcunque legitimè contractarum, ineundarumque alterarum, ubi libuerit? Quaſi ſi vagæ tantummodò ſint & ambulatoriæ, nec niſi pro libidine durare debeant.

Theol. Rem, mi Theophraſte! exaggeras impendiò & amplificas: quamquàm aliorum te verbis loqui minimè ambigo.

Med. Sic audivi; ſic legi in Edicto ipſo. Accipe dictorum Articulorum medullam atque compendium; ac ſi potes, excuſa & explica: mihi enim, fateor, hac in parte ratio deficit, neque quid dicam habeo; tametſi facilè ſuſpicor, bonam quidem legem eſſe & æquam, ſed ejus rectitudinem ob ingenii mei hebetudinem, ſeu Theologicarum rerum ignorantiam, à me non videri.

Theol. Dic ſingulatim, in quibus hæſites: auſcultabo.

Med. Parce, ſi balbutio, hæſitove: nam Edicti exemplar jam nullum eſt ad manum. Sunt autem hæc, ſi bene memini, præcipua, quæ in poſtrema ejus parte conſtituuntur. Si alteruter conjugum Acatholicorum machinatus fuerit adversùs vitam alterius, ſeu adulterium commiſerit, integrum relinqui parti innocenti abſolutam matrimonii reſciſſionem à Judice poſtulare, quam & ille pronuntiaturus ſit, ſi de crimine legitimè conſtiterit. Eandem facultatem permitti conjugi, quem alter dolo malo deſeruerit; quando fugitivus ſeu abſens trina citatione legitimè advocabitur, rationem ſuæ abſentiæ redditurus: quod ſi ille intra conſtitutum tempus non fecerit, pars relicta ab omni erga alteram obligatione declarabitur libera. Conſimilem nuptiarum reſciſſionem Acatholicis conjugibus concedendam, ſi inter eos exortum fuerit odium capitale, ſive inimicitia, aut ferè inſuperabilis averſio, deſiderentque adeò ambo connubiali vinculo abſolvi. Quo tamen eventu, priuſquàm ad id operis à Judice procedatur debere Judicem uti remediis primùm placidioribus, ſi fortè reconciliari adhuc valeant; ac procedere per gradus, concedendo ſub initium ſeparationem menſæ ſeu thori ad tempus; &c..... Quibus omnibus ſi nihil proficere ſe videat, ſpeſque omnis adeò reconciliationis abſit, atque illi inſuper ſeparationem omnimodam petere inſtanter pergant, concedendam denique; ſi modò curetur ſedulò, ut ne filiis illorum damna hinc ingruant. Ac proindè ſive à conjugibus ipſis, qui deſiderant ſeparari, conventione mutua

à Judice approbandâ; ſive ab ipſomet Judice ac Magiſtratu, ante omnia decerni firmiter, ſtabiliterque debere de iſtorum alimentatione, ſuſtentatione, ſorte: nequè parentes abs ſe mutuo ſic diſcedentes ad alias nuptias admitti à quoquam poſſe, niſi id jam ſe præſtitiſſe liquidò demonſtraverint. Statuitur deinde, ut poſteaquàm judex ad normam decretam conjugalis fœderis vinculum diſſolutum pronuntiaverit utrique conjugi liberum futurum ſit, nuptias inire alias; hoc uno excepto, quod non ſit futurum integrum parti reæ, quæ ſuo quopiam crimine aut culpâ ſocio cauſam dederit divortii poſtulandi, inire matrimonium cum perſona illa tertiâ quæ ſecum convicta ritè fuerit in eodem crimine fuiſſe particeps. Mulier ſic dimiſſa, priusquàm ad alias nuptias tranſeat, exſpectare præctereà tenebitur juſto tempore, ut intereà conſtare queat, an à priore ſuo marito non gerat uterum; ne dubitatio eſſe poſſit vel error de filio fortaſſis adhuc naſcituro. Denique adjungitur pro Coronide, quod ſi duo conjuges Acatholici ad eum, quem recitavi modum, à ſe invicem ſeparati, convenire rurſùm deinde velint, id facere permittendi minimè ſint, niſi ritus illos omnes in priore Edicti parte ad validum matrimonium præſcriptos denuò iteraverint; tanquam ſi priores eorum nuptiæ per factam reſciſſionem ſic eſſent abolitæ, vulſæque ut nihil ampliùs vinculi poſt ſe relinquerent, perinde ac ſi nullæ planæ inter eos interceſſiſſent; quod pleriſque, bonæ etiam naris, hominibus videtur planè ridiculum. Sanè creditum ad hanc diem paſſim fue-

rat ab omnibus, matrimoniale vinculum indiſſolubile eſſe, nec niſi cum morte, ùt ſignificat Paulus, abrumpi: nunc verò Judæis, Muhammedaniſque ſimiles efficiemur, dum quiſque pro arbitratu ferè uxorem aut retinebit, aut dimittet inaudito apud veteres Chriſtianos exemplo. Et quidem de Evangelio denique quid fiet, ſinè quo tamen Chriſtiani eſſe non poſſumus? Si Edicto inſiſtimus, jam non polygamis tantùm, ſed polyandris quoque licebit eſſe, res nimirum vel barbaris ipſis intolerata. Quæ mulier ſecura poſthàc eſſe poterit de ſuo ſtatu, marito, liberis, fortunis? Facilè ſalaces viri, ubi uxorum ſuarum florem, juventutemque, decerpſerint, repudiabunt illas à ſe, juncturi ſibi alias, quibus ſua forma vigorque adhuc ſint integri: has quoque ipſas abdicaturi jam effœtas, ſi in ſe venus necdum confriguerit. Quamquàm verò Judæis olim permiſſus repudii libellus fuit, nunquam tamen datum illis eſt, dimiſſas ſemel, repudiataſque uxores reſumere, immò hoc illis expreſſis verbis fuit inhibitum, præſertim poſtquàm alteras jam nuptias illæ iniviſſent; ut adeò hac in parte intemperantiores carnalibus ipſis Judæis videndi ſint Chriſtiani, ſi ex Edicti benigniſſima facultate & abs ſe mutuò diſcedere conjuges valeant rupto fœdere, ac rurſum quando allubuerit ritè coire. Ad hunc ferè modum ratiocinantem declamantemque, ſed longè pluribus vehementioribusque verbis, audivi nuperrimè in præſentia multorum hominem quemdam minimè vulgarem, non indoctum prætereà aut ineruditum: eidemque omnes, quotquot aderant,

intenti erant auribus atque oculis, ſuccinentes pariter & applaudentes, tanquam ſi oraculum protuliſſet ex tripode. Ego continebam me interim, perſuaſum facilè habens rem iſtam omnem non eſſe mihi ſatis perſpectam, neque illud commiſſurum fuiſſe unquam religioſum Principem, ut legem præſcriberet, quæ ſive cum Evangelio, ſeu cum recta ratione, boniſque moribus, aut Reïpublicæ commodis, manifeſtè tamque graviter pugnaret. Tu nodum hunc Gordium, ſi potes, modò diſſolve: en aures arrigo ut auſcultem; potero, dum loquêris, reſpirare pauliſper; longior enim aliquantulùm mea oratio fuit.

Theol. Miror, Theophraſte, tantam in te patientiam; miror magis docilitatem: laudo erga leges legumque latores reverentiam. Non Gordius ille nodus eſt, neque ſolutu, tam, ùt credis, difficilis. Jam dixi, hanc Edicti partem Acatholicos ſolummodò ſpectare. Illi, ùt errant in aliis valdè multis, ſic de firmitate matrimonii non eam habent perſuaſionem, quâ nos Catholici imbuti ſumus à teneris uſque unguiculis. Opinantur nimirùm [& ſic eorum diſciplina habet] tum ob commiſſum ab alterutro conjuge adulterium; tum ob continuas inimicitias, mutuumque odium; tum denique ob fugam ab altero malicioſè capeſſitam, connubiales nexus legitimè poſſe abrumpi: cujus opinionis ſuæ ſtabiliendæ gratiâ ſcripturæ etiam ac Patrum quibusdam locis abutuntur. Quanquàm autem in ea re turpiter errent, oporteatque adeò ab hoc illorum errore Catholicos

eſſe quàm alieniſſimos; quoniam tamen Supremus Princeps [rectène an ſecùs jam non diſputo] commodum duxit ipſis in ſuis ditionibus religionis ſuæ factitandæ libertatem concedere, pronum erat profectò ac conſequens, ut ſuam illis diſciplinam, quam in religione tenerent, quoque permitteret. Permitteret, dico, non approbaret: quemadmodùm nec probare dicendus eſt errores eorum reliquos, religionis licèt libertate conceſſa; quomodò nec Pontifex ipſe Romanus probare dici jure poteſt pervicaciam Judæorum, qui Romæ ampliſſimas Synagogas habent, in quibus quæcunque ad ritus ac diſciplinam ſuam pertinent, exercent liberrimè. Aliud, mi Theophraſte, eſt probare aliquid, aliud tolerare aut permittere. An non in Civitatibus multis publica exſtant proſtibula, leges etiam ſuas habentia? nec tamen quis dixerit, earum Magiſtratus promiſcuam libidinem fovere, aut velle probare, ſuo calculo. Habent nimirùm hi omnes ſuas rationes, easdemque graviſſimas, quare ſic faciant; utì habuiſſe quoque exiſtimandus eſt Princeps, cùm ſuam Acatholicis uſurpare permiſit diſciplinam..... At ais; Judices noſtri ac Magiſtratus Catholicus jubentur ipſi in eventis illis omnibus Edicto comprehenſis ab Acatholicis conjugibus, qui ſeparari deſiderabunt requiſiti matrimonii vinculum diſſolvere aut ſolutum declarare, tanquàm ſi reverà facere hoc poſſint, cùm tamen non poſſe Catholici omnes mira conſenſione teneant.... Atqui tamen rectè hoc conſtitutum eſt ac prudenter: æquum enim non erat ipſorum-met conjugum arbitrio rem

illam

illam relinquere : utque ordine omnia & cum conſilio, non tumultuariè fierent aut leviter, Judicis neceſſarium erat interponi officia : qui illorum ſe principiis tantiſper accommodans, toleratis nimirum à Principe ei hominum generi unà cum ſua religione ex certiſſimis rationibus; nec probans eadem tamen, declararet quantùm ad externum forum attinet, eorum nuptias ſecundùm ſui ritûs diſciplinam cenſeri ſolutas, aliaſque poſſe iniri. Illorum, dico, principiis ſe accommodans, quæ tamen coram Deo, ùt bonus Catholicus, minimè probet, ſed diſſimulet, toleret, atque conniveat. Quomodò & cum Judæis, qui in civitatibus Catholicis alicubi magno numero ſunt, gerere ſe Magiſtratus aſſolet; quomodò item ſub Imperatoribus quibusdam maximè Catholicis multa aliquando diſſolvendorum matrimoniorum conceſſa libertas eſt; quomodò denique marito invenienti adulterantem cum proco uxorem, ſeu injuſtum invaſorem vitæ aut bonorum interimere civibus ſinè mora licuit, ſeu potiùs permiſſum eſt; & alia id genus multa : quæ homines hæc ipſa facientes innocuos quidem ante tribunalia Judicum hujus mundi relinquerent, nullâque dignos pœnâ facerent; apud Deum tamen non idcircò inculpatos penitùs, inſonteſque redderent. Neque eſt timendum, ne Catholici ipſi aliquando eo diſſidentium exemplo alliciantur ſeducanturque ad par aliquid audendum; nobis enim certum eſt minimè licere, nec paſſuri hoc religioſi Principes ſunt : & ſi paterentur, quod nunquam futurum arbitror, aut non

ſuturum ſperamus ſaltem, obſiſteret totis viribus Eccleſia. Quod autem qui legem præſentem tulit Supremus Princeps omninò credat, habeatque perſuaſum certiſſimè, connubiales nexus ab humana nulla poteſtate poſſe dirimi, manifeſtum facit Edicti Articulus 36us, in quo apertè declarat, matrimonium ſemel legitimè initum tantam habere firmitatem ac vim, ut nulla ratione titulove diſſolvi unquam poſſit, præterquàm ſola alterutrius morte. Deinde ubi de Catholicorum conjugum divortiis decernit, illa admittit ſolùm, quæ menſæ thorive ſeparationem inferant aut etiam fortunarum, non vinculum rumpant, dentve libertatem ad alias nuptias, quamdiu uterque vivit, transvolandi. Immò nec illa quidem divortia admittenda concedendaque à Judicibus ſtatuit, niſi ægerrimè, & poſtquam Sacerdotum ſuaſiones ac monita, quæ conſcientiam tangant, nihil in animos ſeparandorum valuerint. Ergo, ùt dixi, quòd Acatholicis facultatem ampliorem faciat, non eſt, quòd ea fieri omnia ab illis ſecundùm legem Evangelicam poſſe autumet; ſed quòd ex certis rationibus ſuam ipſis diſciplinam, errroneam licèt, permittat, ſeu toleret potiùs. Atque illud quidem ſub conditionibus adeò gravibus ac moleſtis, ut non ſit opinandum, rem illam, vel apud hos ipſos, fore familiarem.

Med. Sufficit, Valentine, ſufficit: jam hiſce veluti oculis conſpicio, quàm in hac Edicti parte nihil ſit maniſeſtè iniquum, nihil cum honeſtate, nihil

cum ratione aut Evangelio pugnans. Habeant ſibi Acatholici, ſi errant tam turpiter, & erubeſcant ad noſtræ Communionis diſciplinam ſapientiorem. In omni ferè ſecta animadvertere licet neſcio quam intemperantiam. Nos interim avitam ſervabimus connubiorum firmitatem ac robur, Edicto etiam recèns confirmatum, in illorum maximùm dedecus. Utinam verò, quæ modò attuliſti, habuiſſem tunc ad manum, obſtruxiſſem profectò os plerisque è ſocietate, qui temerè adeò lubricèque Edicti has ſanctiones ſuis gloſſematis dehoneſtantes, inque ejus latorem Auguſtum calumnias accumulantes calumniis, convitia convitiis, quidquid veniebat in buccam effutiebant liberrimè. Ferebam quidem illud tum graviter, ſed quid reponerem, non habebam. Nunc rei totius myſterium edoctus, non deëro officio, ſi fortaſſis adhuc conſimiles criminatores poſthàc offendero.

Theol. In Belgio noſtro Catholico, ubi ſcilicet non tolerabantur hucuſque alienæ religionis ritus atque homines, viſa pleriſque non erat, neque nota hujusmodi illorum diſciplina; ut non ſit mirum, tam multos, etiam non omninò idiotas atque indoctos, ad tantam licentiam quà religionis, quà ſolvendorum connubiorum Principis decreto illis factum hæſiſſe attonitos, atque eam rem ferre moleſtè.

Med. Deponent, ſpero, ſtuporem, indignationemque, ubi ad eum, quem dixiſti, modum rem hanc totam intellexerint.

Theol. Placabuntur ſenſim animi, ac ſapient rectiùs; ſed cum tempore.

Med. Ignorantia & præjudicia animorum, morbi nimirùm ſpirituales, perindè ùt pravæ affectiones corporum, non deponuntur repentè atque è veſtigio, ſed longâ ſæpè morâ ac medicatione.

Theol. Tempus ipſum plurimis unum remedium eſt.

Med. Quid ſi Acatholici ipſi, ad exemplum Catholicorum, tam ſanctas nuptias habentium, errores hac in re ſuos dediſcant aliquando : nempe illi nuptias ceù rem profanam habent; nos Sacramentum eſſe dicimus; quod ſi nobiſcum agnoſcerent, ùt ſanè ſemper agnovit Eccleſia, de iis non æſtimarent tam leviter, nec rumperent contractas adeò promptè. Quid, inquam, ſi errores hos ſuos noſtrâ converſatione dedoceantur? neque enim omninò deſperandum de eorum emendatione eſt.

Theol. Vereor, ut illi in carnales ſuos animos tantumdem imperii habeant.

Med. Non ego tamen hujus rei ſpem omnem abjicio. Sed parùm hoc refert : nam non nocebunt ſaltem multùm aliis meliùs ſentientibus. Ex quo namque prior ille ſectariorum impetus deferbuit, quo ànte duo ſæcula fuerant agitati, non laboratur

ab ipſis magnoperè, ut proſelytos faciant, ſuamque religionem propagent, vel in Provinciis ipſis ubi ſinuntur: ut proindè non magnus debeat eſſe metus, ne apud nos immodicè nidulentur, pravoque noſtris exemplo exiſtant.

Theol. Sed de Hæreticorum matrimoniis dictum eſt ſatis.

Med. Reſtat ut quæſtiunculam proponam de impedimentis veteribus antehàc uſitatis, probatisque ab Eccleſia & Conciliis, vel etiam inſtitutis ab iisdem; nunc verò demùm Auguſti Principis Solemni Decreto partim abolitis.

Theol. Oppidò me fatigas in negotio tam ingrato ac difficili; quid non loquimur de rebus jucundioribus?

Med. Plus proficio tuis luminibus, etiam familiariter communicatis, quàm centum libris ac perſpiciliis.

Theol. Poppyzas, Theophraſte, & nugaris, contrà quàm conſuêſti. Non ego ille ſum, qui enodandis intricatiſſimis quæſtionibus ſim idoneus. Attamen quoniam amico meo tali ac tanto recuſare aliquid piaculum ferè duco, per me licet, de matrimonii impedimentis, recèns conditis, abolitisque verbum adhuc unum, alterumque, mecum nunc facias.

Med. Nôſti, mi Valentine, quàm ab adulatione omni ſim alienus. Si modicâ hâc laude tuam læſi modeſtiam, veritati litavi ſaltem. Nunc addam, quod hucuſque continui, & eſt fortaſſis omnium præcipuum.

Theol. Quid illud? ediſſere.

Med. De Proclamationibus antenuptialibus non multùm laborabo. Has jam pridem Eccleſia quoque requiſivit; nec ſuſtulit, ſed extendit Princeps, ac robur novum addidit, dum niſi præmittantur diſpenſatione obtenta, ſubſecutas nuptias irritas fore decrevit, quæ antè habebantur illicitæ dumtaxat.

Theol. Saluberrima Bannorum ſeu Proclamationum matrimonialium conſuetudo eſt, quam cùm ante Innocentium III. Pontif. Max. multæ quidem, ſed non omnes Eccleſiæ tenerent, Lateranenſe ſub ipſo Concilium generalem fecit, in legemque erexit communem, quam & Synodus deinde Tridentina probavit, ſuamque eſſe voluit. Synodi quoque Belgicæ tam ſeriò præcipiunt Parochis, ut has denuntiationes faciant, ut non ſit obſcurum, earum uſum ſummi ſemper momenti ab ipſis fuiſſe habitum, nec niſi gravi de cauſa, obtentaque diſpenſatione eſſe omittendas: quin immò peccare graviter Epiſcopos, qui hanc nulla ferè ratione concedunt.

Med. Atqui tamen in Diœceſibus nonnullis, viciña præſertim nobis Leodienſi, nihil communius,

quàm illas omittere, omittendarumque illarum facultatem petere & impetrare, causâ paſſim nullâ, præterquàm pecuniæ; adeò ut dedecus propemodùm ſit, apud eam gentem proclamatum nubere, ſolique illi hoc faciant, qui ſolvere minimè poſſunt.

Theol. In iſta quoque, quam dicis, Leodienſi Diœceſi optimæ exſtant, nec parùm ſeveræ, in eam rem Synodorum Epiſcoporumque Conſtitutiones, ſed ùt aliæ pleræque molliter obſervatæ. Tametſi neque ibi Parochi deſunt bene multi, qui ab ejuſmodi quæſtûs ſtudio alieni prorsùs, vindicandæque melioris diſciplinæ ſoliciti, nunquam aut raò eas patiuntur omitti.

Med. Parochorum præcipuè culpa eſt, ſi non fiant: quippe qui datis literis declarare conſueverunt diſpenſandi rationem adeſſe; aut *rubra* ipſi, ùt vocant, *ſigilla* venalia habent.

Theol. Apud nos hæc diſciplina uſque vegetior fuit. Non ignoras præterea, quid egerit ante annos non adeò multos piæ memoriæ Leodiorum Epiſcopus ac Princeps Carolus D'Oultremontius, Paſtor ſi quis alius zeloſiſſimus, ut graſſanti abuſui aggerem opponeret; neque per ipſum ſtetiſſe, quod res non ſucceſſerit è voto: ſed per Archidiaconos non undiquaque, ùt par fuerat, obſequentes. Ergò quoniam tantæ utilitatis denuntiationes antenuptiales ſunt, & tamen adeò facilè, in locis præſertim illis, quæ ſub

Leodienſi aliisque extraneis Diœceſibus ſita ſunt, ab ignavis quibusdam ſuoque compendio intentis Paſtoribus permittebantur omitti; hinc fortaſſis eſt factum, ut majoris ponderis diſſiciliorisque neglectûs eam legem Princeps reddiderit; dum à denuntiationibus dependêre matrimoniorum valorem decrevit, non utique omittendis, niſi ob graves cauſas, easque à Magiſtratu ritè ponderandas atque probandas.

Med. In Gallia, ſi rectè memini, jam à Seſquiſæculo, eòque ampliùs, in Conventu Bleſenſi decretum eſt, „ quòd ſubditi iſtius Regni, cujuscum-„ que ſtatûs, qualitatis & conditionis exiſterent, „ contrahere validè non poſſint, ſinè publicis Ban-„ norum proclamationibus cum competenti tempo-„ ris intervallo." Quin ajunt vicinos Batavorum Ordines ad præcavenda incommoda ex clandeſtinis matrimoniis oriri nata, inter cætera publicâ lege anno 1580. caviſſe, ne aliter nuptiæ conſiſtant, quàm ſi trinæ eas Proclamationes ritè anteceſſerint.

Theol. In eadem tamen Gallia, ſi Gerbeſio fidas, non obſtante Bleſenſi illo decreto, matrimonia ſinè præviis denuntiationibus abſque venia facta habentur pro validis, & quod ibi ſancitum eſt, habenda invalida; hoc docet intelligendum quantùm ad civilès effectus attinet, oſtenditque quod dicit ex variis Auctoribus Francis, nec non à ſupremo Senatu prolatis ſententiis.

Med. Ita in Gallia fortaſſis res habeat ſeſe; in Edicto noſtri Principis, connubia iſtiuſmodi declarantur *abſolutè nulla nulliusque valoris*: ac ſi quando ob graves rationes diſpenſandum in faciendis denuntiationibus ſit, jubentur nupturi hanc gratiam poſtulare ab Judice Sæculari, quam peti voluit olim, darique, Synodus Tridentina ab Eccleſiæ Antiſtibus.

Theol. Legi apud Eſpenium, eam denuntiationum antenuptialium diſciplinam apud Hollandos Acatholicos cuſtodiri adeò accuratè, ut nunquam aut ferè nunquam illarum omittendarum facultatem concedant, cujuscunque demum conditionis ſint, qui eam poſtularent: atque adeò indigna res erat & plena ſcandali, quod Epiſcopi nonnulli, ſeu potiùs eorum adminiſtri, tot etiam Eccleſiæ ſanctionibus obligati atque admoniti, adeò faciles ſe exhiberent paſſim in remittendis iisdem; ut jam fermè ea lex pauperibus tantùm ac infimæ quaſi plebi videri poſſet præſcripta; immò quod pudet dicere, inquiebat Eſpenius, ſola nummi carentia ad obſervantiam legis conſtringere videretur: quamquàm fatendum, ùt dixi, ingenuè in noſtratium Epiſcoporum laudem eſt, in hac re eos ſe ſemper exhibuiſſe difficiliores.

Med. Credisne futurum, ut ex Edicti præſcripto denuntiationes omittendæ ſint rariùs? Non utique ego: non eſt enim veriſimile ruſticanos, exempli causâ, Judices, homines ſcilicet indoctos plerumque, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, finisque ejusdem

ac ſpiritûs omninò ignaros, neque admodùm curantes; tum & compendiis ſuis ſolummodò inhiantes, difficiles in hac parte ſe præbituros: hos profectò faciliùs etiam erit circumvenire, quàm olim Epiſcopos. Si non & ſubindè diſpenſationem conceſſuri ſunt merè, ut hos irrideant ac ſpernant.

Theol. Poterat [verum eſt] immò fas erat, eam poteſtatem relinqui ſacris Præſulibus, juxta quod à Concilio Tridentino ſapientiſſimè fuerat ordinatum. Si videbatur è bono publico eſſe; utì erat reverà; ut matrimoniorum ineundorum Proclamationes rariùs omitterentur; ſuffecerat Epiſcopos vel ſemel monuiſſe officii, qui dubio procul zelo obſecundâſſent ſeduli Principis. Nunc illi conquerentur de læſis contractisque ſuis juribus; tametſi non abolita, ſed extenſa prior illa lex eſt. Nec deërunt fortè, qui duplici exhinc diſpenſatione opus fore autumabunt, alterâ ex Edicto impetranda à Magiſtratu ſæculari, ùt validè; ab Epiſcopis alterâ, ùt licitè ſinè præviis Bannis nubatur: quorum ſententiam quæ utrique foro jus ſuum aſſereret, gratam tamen fore Principi multùm addubito.

Med. Nihilominùs à Catholicis paullò timoratioribus in uſum deduci hoc conſilium habeo compertiſſimum. Et facient, opinor, ita in cæteris quoque omnibus.

Theol. Laudo pietatem, probo conſilium. Sic nulla erit animorum inquietudinibus anſa.

Med. Cavent tamen ſedulò Epiſcopi, ne à Sponſis qui diſpenſatione hujuſcemodi indigent, quod olim conſuêrat fieri, aliquid ſolvatur; & merito quidem illi, reor enim, ſi ad aures hoc veniret Principis, non abituros impunè.

Theol. Ab Epiſcopis noſtris, etiam anteà, in occaſionibus ejuſmodi, vix aliquid exigebatur. Quod autem times, ne factâ ruſticano Magiſtratui diſpenſandi potentiâ, illi, cæterique abutantur, fiantque adeò hâc viâ relaxationes frequentiores indiſcretioresque, quàm anteà contra mentem Principis: puto vanum metum eſſe: diſertè enim mandatum illis eſt, hoc non facere, niſi ob cauſas graves atque urgentes; narratumque eſt mihi nuperrimè, Reſcriptum datum iri à Principe propediem aliud, quo id etiam atque etiam commendet; mandetque, ut ne ea poteſtate utantur Magiſtratus, niſi ob rationes omninò ſingulares ac perquàm urgentes, quæ publicari nuptias ſinè dedecore maximo non ſinant nupturientium; quo & caſu hi Sacramento jurisjurandi cogendi ſint conteſtari, ſe nullius impedimenti eſſe conſcios.

Med. Præſtolabimur eventum; nam de hac re nihil adhuc audivi. Unum eſt, quod in præſenti de nuptiis Edicto magnoperè probarem, ſi modò viderem, quomodò non pugnet rurſum cum definitione Synodi Tridentinæ, quam Catholici omnes reveremur, ſanctamque habemus & ſacram.

Theol. Audiamus.

Med. Illud nimirum; quod de filiis filiabusque familias, de pupillis & minorennibus eſt decretum, ut ne validè ſinè Parentum ſuorum ſeu Tutorum, vel ſuppleto ſaltem per Judicem conſenſu inire nuptias valeant: id quod petulantem inconſiderantemque juventutem, in nuptias ſæpè obductis veluti oculis præcipitem refrænabit, ac Parentes collocabit in tuto, ne infauſta ſuorum atque importuna matrimonia videre debeant: hanc inquam, legem ego, qui filios ipſe habeo, filiasque, ferè nubiles, de quibus, quoniam æſtuare incipiunt, jam indè ſolicitudo me capiebat, probarem immensùm laudaremque, niſi illud videretur evertere ea, quæ mox laudata Synodus ſtatuit, dum [Seſſ. 24. de Reform. matr. Cap. 1.] anathemate damnat eos, „ qui falsò affirmant, „ matrimonia à filiis familias ſinè conſenſu Parentum contracta irrita eſſe, & Parentes ea rata vel „ irrita facere poſſe." Jam verò hujuſmodi connubia reverà invalida à Principe declarata ſunt; nequicquam obſtante Concilio, perindè quaſi erratum fuiſſet à Synodo, cujus tamen ſanctionem Catholicus quiſque ſacroſanctam habeat, certamque neceſſe eſt.

Theol. Nihil, mi Theophraſte, pugnæ iſthic cum Concilio eſt. Stat illi ſua auctoritas, Edictoque ſua vis, ſummâ concordiâ.

Med. Summâ conçordiâ? Da lucem; hîc enim mei caligant oculi, ac penè nihil video.

Theol. Quo tempore id declaravit Synodus, plerique Acatholicorum, (*) ùt jam quoque, tenebant, filiorum matrimonia invitis, ſeu inſciis Parentibus inita ſuâpte naturâ irrita eſſe, aut certè ab iisdem pro arbitrio irritabilia: contrariam huic doctrinam propoſuit Synodus, atque id genus conjugia illicita quidem eſſe, non tamen invalida; quamdiu nimirùm per legitimam poteſtatem aliter non decerneretur.

Med. Hoc eſt dicere, talia conjugia non eſſe ex natura ſua nulla; quamvis nulla decerni queant, dum è re fuerit viſum poteſtati ſupremæ.

Theol. Rem capis. Nunc igitur invalida apud nos iſtiuſmodi matrimonia habebuntur deinceps, non quaſi talia ſint ex ſe; ſed quia ſuprema poteſtas ſic conſtituit; ad eum ferè modum, quo de Proclamationibus factum dicebamus ſtatim. Alioquin niſi aliter Principi placuiſſet ſtatuere, hujuſmodi nuptias valituras nobiſcum crederet vel Princeps ipſe, ſanctiſſimæ

(*) Non tamen omnes apud illos ſic ſentiunt. Grotius, exempli gratiâ, ex eis unus non minimæ auctoritatis contrarium omninò docet Lib. 2. *de jure belli & pacis* Cap. 5. §. 10. No. 1. Vide Clemens *Traité de pouvoir de l'Egliſe ſur le Mariage* Chap. 4. pag. 284. & ſeq.

Synodi deciſionibus, ùt Catholicorum quilibet, ſubjectus. Viden' quomodò in Edicti hac parte nihil in illam ſit peccatum? nam & in Gallia eadem ipſa quam nunc videmus invectam, diſciplina obtinet, regiâ & ibi ſanctione olim inducta.

Med. In Belgicis hiſce provinciis jam dudum varia decreverunt Principes adversùs nupturientes, Parentibus invitis, Juvenes; nominatim Carolus V. & Philippus IV. utrique luculentis ſeveriſſimiſque Edictis; at non undiquaque è voto res illis, eorumque legibus ceſſit; nam ad noſtra uſque tempora hæc paſſim Parentibus præcipua crux fuit, dolor, ſolicitudo, angor præcipuus, natorum ſuorum intempeſtiva impariaque conjugia, clam ſe ſive repugnantibus quoque ſe inita. Ab hac ſolicitudine liberi erunt poſthàc, legibus novo robore addito, adversùs intemperantiam irreverentiamque, pluſculùm valituris.

Theol. Eludebant anteà inobedientes filii vigilantiam & curam Parentum, ineundo matrimonia, ut vocabant, *facti*: nunc eludent legem modis aliis, extra patriam nempe ſe recepturi aliquandiu, donec quas ambiebant, nuptias ibi perfecerint; voluerint, noluerint Parentes: reverſuri deinde pacificè & ſecurè.

Med. Habebuntur, ùt fert fama, matrimonia ſic in fraudem legum alibi ineunda pro nullis quantùm ſaltem ad effectus attinet civiles: quod ſi ſtatuetur

utì ſtatuendum omnino dicunt propediem, ſalva erunt Parentibus, legibuſque, omnia.

Theol. Hoc frænum, ſi apponatur, ſufficiet.

Med. Gaudeo planè de lege tam utili; nunc autem maximè, dum ſublato veluti ab oculis meis à te velamine ipſus conſpicio, non commodis modò publicis, meiſque, eam mirè ſervituram; verùm etiam quod hucuſque fueram ſuſpicatus ac veritus, à Tridentinæ Synodi ſanctione nihil deviare.

Theol. Minima hæc difficultas fuit enodatuque facillima.

Med. Vellem, ut cæteros quoque Edicti Articulos conſimili interpretatione donare, ſeu excuſare, tuerive valeres: neque enim deſinam, niſi meas dubitationes diſſolveris, audieriſve ſaltem, in re tam nunc apud omnes paſſim, in foris, in compitis, in ſcholis, in popinis ipſis altercata: de cognatione loquor & affinitate intra arctiores nunc limites, Regio Decreto, concluſis.

Theol. Hîc equidem diſcere malim quàm docere: ùt & de affinitate ſpirituali aliiſque nonnullis Impedimentis ab Eccleſia olim ſive probatis confirmatiſque, ſive invectis, nunc verò, ùt videtur, à Principe omninò abolitis.

Med. Immò abolitis; ſed non ab Eccleſia. Quid modò agent fideles, quando utraque poteſtas politica & Eccleſiaſtica in conflictu eſt?

Theol. Boni Catholici, quique in tuto ſeu quiete animos ſuos ponere volent, ſi quando in gradibus ab Eccleſia prohibitis inire ob rationes graves connubia volent, Regio Edicto nunc minimè comprehenſis, Epiſcopos ſuos accedere obtinendæ diſpenſationis causâ non negligent, eò magis, quod hoc facere non præcipiantur quidem, ſed tamen permittantur, ſi velint, ipſo-met Principe in ſuo Edicto hoc declarante „Conſanguinei, inquit Num. XVI. „ ſeu affines omnes, quos præſenti hoc noſtro De- „ creto ad ineunda inter ſe matrimonia non decla- „ ravimus inhabiles, poterunt validè hoc facere „ etiam ſinè prævia diſpenſatione, quam tamen „ liberum illis erit petere à ſuo Epiſcopo, ſi ita „ fuerit illis viſum." Ergo cùm non vetentur hoc facere, faciant; & dubiis nullis erit locus.

Med. Optimum conſilium: quod probi quique fideles ſecuturi ſunt ſponte; cæteri eadem facilitate ſpreturi. De horum autem conjugiis ſic contra antiquas Eccleſiæ conſtitutiones initis, ineundiſve quid dicemus? Duorum foret hercle! durum dicere invalida eſſe, ac meros concubinatus.

Theol. Atqui tamen ita cenſent Viri doctiſſimi non pauci, quorum opinionem, duram licet apertæ falſitatis nemo facilè coarguat.

Med,

Med. Ego verò in animum inducere vix poſſum, ſi vera eorum ſententia eſſet, toleraturam Eccleſiam diſſimulaturamve legem tot incommodis peſſimisque conſecutionibus obnoxiam. Et Princeps ipſe an ferri unquam ſuſtinuiſſet?

Theol. Ex illorum ſententia hujuſcemodi conjugia quantùm ad contractum civilem effectusque politicos attinet, erunt valida; coram Deo autem & Eccleſia quantùm ad Sacramentum ſpectat effectusque ſacros & Eccleſiaſticos irrita erunt ac nulla. Liberi, exempli causâ, ex tali conjunctione nati habebuntur legitimi quoad diſcenda opificia, obeundas dignitates & officia ſæcularia; necnon acquirendas hæreditates, ſucceſſionesque bonorum temporalium, &c. Cùm hæc omnia civilia ſint & politica, atque adeò à ſolo Principe determinanda: at reſpectu beneficiorum, dignitatumque Eccleſiaſticarum, &c. habebuntur pro ſpuriis.

Med. Durum! durum!

Theol. Ad hunc modum ſe explicant, expediuntque, Scriptores quidam, etiam Galli; ac noviſſimè Auctor Operis *de utraque Poteſtate*, quem ſequuntur Balletus & Metrotus in una & altera diſſertatione anno præterito pro obtinenda Juris Canonici laurea ab ipſis defenſa in Univerſitate Catholica Argentinenſi, quæ nunc Lovanii etiam veneunt, curantibus Plati adverſariis; jam inde fortaſſis abs te quoque viſæ ac lectæ.

Med. Vidi equidem; at necdum legi, deficiente otio. Hoc audio, tædii plenas eſſe ac multæ nauſeæ; cæterùm doctrinam complecti bonam & ſanam.

Theol. Duo illi velites hoc præcipuè habuerunt ſibi propoſitum, ſeu potiùs illorum Magiſter Ditterichus; ut clariſſimi Viri Antonii Petzeki Juris Eccl. in Academia Albertina Friburgi in Briſgoïa Profeſſoris publici atque Catholici doctrinam modeſtè refellerent, quam ille propoſuerat in Diſſertatione peculiari, in lucem publicam à ſe emiſſa anno 1783., *de poteſtate Eccleſiæ in ſtatuendis matrimonii Impedimentis.* Launoii ſententiam magno ille conatu, variaque & copioſa eruditione propugnaverat. Quam habet Eccleſia ſtatuendorum impedimentorum, dirimentium matrimonia poteſtatem, eidem factam tenuit à Principibus, quibus ea propria ſit. Principes proindè, ſi è re hoc fore judicaverint, pleniſſima gaudere libertate eandem revocandi. Nec præſcriptionis titulum hîc quidquam valere, cùm hæc contra jura, ùt vocat, Majeſtatica nihil valeat: quâ poſtremâ in re conſentientem ſibi etiam habet Hericurtium, (*) Juris-Conſultum è Gallis celeberrimum. Deindè cùm is ſolùm, cujus eſt legem condere, in ea poſſit diſpenſare; conſequens quoque eſſe ait, ſolos Principes in Impedimentis, ſive à ſe, ſeu nomine ſuo ab Eccleſia conſtitutis, poſſe de jure diſpenſare; ut adeò diſpenſatio hac in re, ſeu

---

(*) Loix Eccl. de France Part 3. p. 65.

ab Epiſcopis, ſeu à Pontificibus ipſis Romanis, hucusque fieri ſolita, ex uno Principum conſenſu ac indulgentia valorem ſuum fuerit nacta; contraque voluntatem illorum expreſsè ſignificatam ac decreta, ab iisdem conceſſa nulla ſit atque irrita; à quibus omnibus non multùm abludit Platus.

Med. Sic nimirùm ubique conſpiratur adversùs Eccleſiaſticam poteſtatem, ab ipſis Eccleſiæ filiis.

Theol. Petzekus ſuam lucubratiunculam claudit adjecto voto, quo deſiderare ſe ait & optare, ut Supremi Principes omnes Romanorum Imperatorem Auguſtiſſimum, Joſephum II. imitentur, qui petendis à Rom. Curia matrimonialibus diſpenſationibus in terris ſuis hæreditariis fecerit finem. Hortatur, ut priſtinum errorem nunc tandem deponant atque eliminent, quo creditum hucuſque vulgò fuit, fideles impedimentis ſuas nuptias dirimentibus citra aſſenſum Principis poſſe obligari: poſtremòque addit, rem illos facturos & decoram & ſummè conducibilem publico bono, ſi conſervatis iis ſolummodò impedimentis, confirmatisque, quæ aut Juris naturalis eſſe aut Divini conſtaret, cætera omnia tollerent è medio.

Med. Eò-uſque progreſſus nunquam eſt Platus noſter, geſſitque ſe præ Scriptore illo longè modeſtiùs. Cæterà, fit mihi hinc perſpicuum, cum Plato facere multos alios, etiam è Catholicis, nec

H 2

ſpernendos quidem Auctores: atque illum adeò non facilè incuſandum, tamquam qui Eccleſiæ Conciliorumque ſacerrimas ſanctiones inſuper habens, pedeque conculcans temerario atque ſacrilego, meras nobis hæreſes, erroresque manifeſtos ac capitales divenderet.

Theol. Plati opinionem repudiàrunt ſolemni reſponſo Duacenſis Univerſitatis Doctores Theologi, eam quam Veldius tenuit contrà probantes ſuo calculo.

Med. Dirimendæ Theologicæ controverſiæ, quæ majoris momenti ſit, Univerſitatis unius votum minimè ſufficit; & nôſti quàm parvo illa Duacenſis habeatur in pretio, ut quæ tota ferè eſt Jeſuitica: quod tamen mirêre de Schola Gallicana.

Theol. Mihi tota illa de Impedimentis quæſtio adhuc indeciſa eſt: & quanquàm ab Concilii Tridentini minimè obſcuro ſenſu ægrè divellor; multùm tamen abſum, ut Plati Marantique opinionem pro damnando errore habeam, aut de mentis eorum ſinceritate rectaque fide addubitem. Unum eſt quod probare nulla ratione poſſum: quòd nimirùm re uſque adeò incertâ, atque utrimque adhuc diſputatâ, Eccleſiâ quoque minimè conſultâ, peremptorium hoc decretum procuſum ſit, prodieritque; quaſi unus Princeps decidere controverſiam ſe ſolo valuiſſet, atque antiquitatis de hac re legibus avitis novas inducere pro arbitrio.

Med. De recta Principis mente, intentioneque, nullus dubito; atque iraſcor potiùs ejus adminiſtris, impotentibusque ac parùm religioſis Conſiliariis.

Theol. Eccleſia, ùt quidem arbitror, ſervandæ concordiæ gratiâ, huic Principis Conſtitutioni non refragabitur apertè, ſuoque adeò ſilentio eam veluti approbans ſuam eatenùs faciet; ùt in aliis multis factum novimus fuiſſe aliàs. Epiſcoporum alioqui [ſi bona videlicet lex non eſſet] ac Supremi inprimis Antiſtitis Rom., munus eſſet errantem in re tanta Principem commonefacere ac edocere; quod dum hucuſque minimè faciunt, exiſtimandum enimverò eſt, de violatis ſuis juribus ipſis tam apertè minimè conſtare, aut ultrò aliquid cedere.

Inter hæc optimum factu eſſe judico, ſi fidelium unusquisque in toto hoc negotio Epiſcopi ſui requirat, ſequaturque conſilium: illi enim ſunt, quos Salvator poſuit, ut regerent Eccleſiam Dei, quos item qui audit hunc audit, qui ſpernit hunc ſpernit. Et erunt, opinor, illi ſatis cauti, ùt ne aliquid ſuadeant aut decernant, quod regiis adverſetur juribus, ſeu turbare utriusque poteſtatis bonam harmoniam valeat.

Med. Multâ illis prudentiâ in præſenti rerum ſtatu opus eſt, cum patientiâ longanimitateque conjunctâ: neque enim is JOSEPHUS eſt, qui irritari ſe, ſuaque juſſa contemni impunè ſinat.

Theol. Si Legum ſuarum vindex eſt, qui eas nolit ullo modo præteriri, religioſus eſt etiam ac pius, tum & docilis quoque, ut ſi easdem aut cum religione non ſat convenire, aut Reipublicæ fore perniciosas noxiasve intellexerit, revocet quantocyus, aut temperet; cujus rei non unum jam modò exemplum præbuit.

Poſtremò in exponenda enucleandaque tota hac de Impedimentis matrimonialibus controverſia, videtur mihi palmam præripuiſſe graviſſimus Theologus è Dominicanorum fœcundo magnorum Virorum Sodalitio Petrus Sotus, qui & Tridentinæ Synodo interfuit. Ejus Opus *de Inſtitutione Sacerdotum* penes me habeo. [Raro enim ſinè libris domo mea exeo, vel ad ambulationem] verba ejus prælegam, tametſi aliquantulum prolixa: atque hoc veluti Epiphonemate noſtram hanc de præſenti negotio ſermocinationem concludemus, de aliis deinde rebus tractaturi minùs difficilibus, & quæ cum amica ſuavique deambulatione melius conveniant.

Med. Ad Sotum utraque litigantium Theologorum pars provocat, Veldiana, Marantiana. Ejus ſenſa audire aveo ipſiſſimis illius verbis: maximè cùm Tridentino Concilio perhibeatur interfuiſſe, atque adeò ejus mentem noſſe perbenè potuerit.

Theol. Ita habet Lect. IV. de Matrim. pag. mihi 383. „ Beatus Thomas intrepidè aſſerit jura ipſa „ civilia & Imperatorum leges illegitimos aliquos

„ reddere ad contrahendum, ita videlicet ut *nullum*
„ *ſit matrimonium*; neque negant hoc alii, quan-
„ quam non ita apertè aſſerant. Et certè hoc eſt
„ ſolidiſſimè fundatum in illo verbo Evangelii:
„ *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet.* Deus
„ enim per cauſſas naturales & ordinatas humanos
„ contractus perficit, hoc eſt, auctoritate legum,
„ ſicut naturales res per cauſſas naturales. *Non ita-*
„ *que Deus conjungit, quos contra juſtas leges*
„ *humanas conjungitur.* Hoc dicimus [addit]
„ quoniam Juriſtis multis viſum eſt, *non eſſe pote-*
„ *ſtatis ſæcularium legum matrimonium nullum*
„ *reddere, ſed tantùm Eccleſiaſticarum.* Juriſtæ
„ nulla auctoritate Juris Divini aut Canonici hoc
„ probant, nec etiam ratione ulla efficaci: nec ad-
„ vertunt, nihil hoc derogare auctoritati Eccleſia-
„ ſticæ, ſed potiùs conducere Eccleſiæ paci: ſi
„ enim jus ipſum Divinum permittit prohiberi ab
„ Eccleſia, quod ipſum non prohibet; quarè Ec-
„ cleſia non permittet ſæculari poteſtati prohibere
„ circa matrimonium, quod ipſa non prohibet?
„ Fatemur igitur, *civiles leges non poſſe licitum*
„ *matrimonium facere, quod Eccleſiaſticæ illi-*
„ *citum reddunt*; ſicut nec Eccleſiaſticæ leges
„ approbare quod divinum jus reprobat: hoc enim
„ erat inferiorem Superiori contradicere. Verùm
„ quòd Eccleſiaſticæ leges non prohibent, cur ſæ-
„ culares prohibere non poterunt; ſicut quod non
„ prohibet jus Divinum, prohibent Eccleſiaſticæ?
„ *Nec debent Prælati Eccleſiæ gravatè ſuſcipere,*

„ *ſi quod temporali paci viderint neceſſarium*
„ *ſæculares Principes ſtatuant. Nec eſt cur illis*
„ *ſe opponant; ſed permittant potiùs matrimo-*
„ *nium legibus humanis ordinandum, cùm offi-*
„ *cium humanum ſit; ET ADDANT POSTEA*
„ *IPSI, SI VIDEBITUR, QUOD AB BO-*
„ *NUM RELIGIONIS PERTINET. QUAN-*
„ *QUAM LEGES CIVILES IN HIS OMNI-*
„ *BUS EX PIETATE CERTE ET VOLUN-*
„ *TATE PRINCIPUM FACILE CESSE-*
„ *RINT ECCLESIÆ*, ut jam nullum cenſeatur
„ matrimonium illegitimum *QUOD ECCLESIA*
„ *TALE NON JUDICAT*. Non tamen propterea
„ vel legi, vel conſuetudini Reipublicæ hoc auferen-
„ dum eſt, ut illegitimos aliquos reddere, ſi velint,
„ poſſint: ſed potiùs, ſi opus foret, confirman-
„ dum eſſet ab Eccleſia. Civilia jura illegitimum
„ judicant matrimonium inter tutorem & curatorem
„ vel filium ejus, & pupillam..... Sed derogatum
„ videtur his legibus per contrariam conſuetudinem,
„ quæ tamen non videtur minima ratione & neceſ-
„ ſitate hoc ſtatuiſſe. Si itaque denuò hoc videretur
„ ſtatuendum, non eſt cur hæc auctoritas auferatur
„ à ſæcularibus Principibus, *qui de matrimonio,*
„ *non quidem ùt eſt Sacramentum, ſed ùt offi-*
„ *cium eſt neceſſarium Reipublicæ, ſtatuunt,*
„ *quod tamen Sacramentum prærequirit.*" Huc-
uſque Sotus; cujus ego moderationem ſuſpicio, ac
laudo, vellemque imitarentur omnes: ſic ſua utri-
que poteſtati haberetur auctoritas ac reverentia: nec

ali-

aliquid Eccleſia demeret Principibus, nec Principes Eccleſiæ.

Med. Videtur mihi Sotus ille mediam inîſſe viam, eamque, meo judicio, optimam. Præ cæteris verò illa ejus verba mihi arrident, mox abs te prælecta, quibus ſuadet, monetque, ut ne Eccleſiæ Prælati opponant ſe Principibus de nuptiis ſtatuentibus; ſed permittant *potiùs matrimonium legibus humanis ordinandum; cùm officium humanum ſit;* utque *addant ipſi poſteà, ſi quid videbitur ad bonum religionis pertinere.*

Theol. Hæc ſi obſervarentur, jam omnia pulcherrimo procederent ordine. Sed quia &c. &c.... Hoc denique addo, pleraque quæ in Tridentina Synodo de Matrimonii diſciplina ſunt ordinata, decreta fuiſſe rogantibus aut ſaltem conſentientibus Principibus, quorum pars major ſuos ibi legatos habuêre; ita ut ſi quæ ibi hac de re ſtatuta fuerint, quæ alioquin ſpectaſſent ad Principes, eorum nomine hæc illic decreta fuiſſe dici magna ex parte valeant; ut non ſit mirum, eorumdem nonnulla potuiſſe deinceps ab ipſis mutari.

Med. Bona eſt hæc animadverſio. Sed age hîc paulisper conſideamus. Propè adeſt fagus umbroſa; adſunt & ceſpites, ſeu potiùs ex ceſpitibus compoſitum ruſticanum ſcamnum. Jam ſudo, hic auram captabimus, umbramque.

Theol. Ego jam dudum optaveram conquieſcere. Fluens ſuper tibias toga impeditiorem reddidit greſſum, ac nulla nubes ſolis radios intercipit: quique labor fuit præcipuus; tu meum caput, plùs quàm ambulatio pedes, variâ queſtione fatigâſti.

Med. Næ! tu præ cæteris vulgò Clericis religioſus es ac tenax modeſtiæ. Pars illorum maxima, quando foràs exeunt, raro oblongis utuntur veſtibus. Ac tu prætereà ſemper onuſtus prodis, nunquam non libris oppletos habens ſaccos.

Theol. Hæ meæ deliciæ.

Colloquii Secundi Finis.

JOANNIS PII AD PETRUM CURIOSUM

Epiſtola altera.

J Am clauſæ meæ literæ erant, convolutusque, quem mitto, papyraceus faſcis; cùm in manus meas, quæ exſpectabam, venêre eorumdem Interlocutorum Colloquia quædam alia, ſtylo eodem, conſimilique ſpiritu ſcripta. Non legi quidem adhuc: ſed video in illis agi de Cœmeteriis, de Confraternitatibus, de Capellis, de Proceſſionibus ac Jubilæis, aliisque nonnullis argumentis utiliſſimis ac pro tempore opportunis. Qui mecum eadem communicavit, Vir eſt Eccleſiaſticus, mihi tibique inprimis carus. Laudat ille plurimùm ſcriptiunculam, quam ſe ſemel iterumque ait perlegiſſe: tum quòd animi ſenſa exhibeat Virorum duorum doctiſſimorum, ſummo candore ſinceritateque de rebus hujusce temporis diſſerentium; tum quòd idiomate conſcripta ſit Latino, eoque non inelegante, quale nimirum materiam talem deceat, quæ Eccleſiaſtica ferè eſt; cujusque adeò arcana omnia nec ſcire debeat, nec legere è rudi atque garrulo vulgo quiſlibet.

Ego mox atque potuero primùm legam ipſe; tum perindè ùt Colloquia illa priora, ad te quoque mittam, iisdem conditionibus.

Tu modò iterùm vale, ac judicium de illis tuum, quando licuerit, enuntia.

Ex PORTU FRANCO
octavo Idus April. 1786.

Joannes, Pius Polygraphus.

MEDICI CONSULTANTIS
PARS ALTERA,

SIVE

DE EDICTIS IMPERATORIIS, REBUSQUE AD PRÆSENTES IN BELGIO QUÆSTIONES PERTINENTIBUS

COLLOQUIUM TERTIUM FAMILIARE

INTER

THEOPHRASTUM Medicum
& VALENTINUM Theologum,
Belgas.

Utile, quod non vis, do tibi conſilium.
Martial. Epigr. Lib. 5.

ALETHOPOLI,
Typis HYLARII SINCERI, in Platea Recta sub Signo *Candoris*, anno 1786.

Cum Approbatione Publica.

TYPOGRAPHI MONITUM

AD

LECTOREM

EN tibi, Lector Candide, Colloquiorum de Edictis Imperatoriis partem alteram, eâdem formâ iiſdemque typis à me vulgatam, quibus prior prodiit. Si omnium applauſu excepta hæc fuit, utì ſanè fuiſse ipſa conquirentium ementiumque aviditas teſtata eſt, non minùs certè grata futura eſt illa; quippe calamo eodem, parique vigore ac ſpiritu conſcripta. Profectò ut hoc Opus meis typis darem in publicum non tam mea quàm publica utilitas fecit; qui & niſi magnis meis ſumptibus, multaque conquiſitione ac curâ præſtare illud non potui: ſed publico bono promovendo quomodòcunque adlaborare ſatago, & quidquid in eam rem prodigo, id totum lucrum reputo. Quod ſupereſt, rurſum te rogo, ut ſi quæ errata Typographica hîc offendas, emendes benignè atque ignoſcas; Auctori nihil eorum imputes: hæc enim preli ſors eſt, utcunque à Typothetis curetur, ut vitiis ſcateat. Addidi nihilominùs in hujuſce Voluminis fine mendorum quorumdam è præcipuis Indicem correctorium, cujus uſu pleraque emendare facilè poteris. Tu fave fruereque, atque à meo prelo, ſi propitium numen habeo, potueroque invenire, tertiam quoque horumce Colloquiorum partem præſtolare.

JOANNIS PII ad PETRUM Curioſum *Epiſtola.*

QUod ante ſeptimanas non adeò multas ſum pollicitus miſſurum, ubi accepiſſem legiſſemque Colloquiorum de Edictis Imperatoriis rebuſque ad Belgium pertinentibus Partem alteram, nunc præſto, mi Curioſe! tametſi tardiùs aliquantò quàm cogitaveram. Sanè per me non ſtetit, quominùs illud facerem citius, cum à quo tempore poſtremas ad te literas dedi, adeò intereà me obruerint negotia, ut evolvendo volumini lectitandoque paullò attentiùs vix ſpatium ſuppetiverit; quando tamen non niſi lectum à me volui dimittere. Miror equidem quòd reſponſi adhuc nihil tulerim ad epiſtolas illas binas, quas unà cum manuſcripto volumine non ita pridem ad te miſi: ſimulque his te commonefacio, ut injunctæ à me tibi cuſtodiæ memor uſque maneas, neque ſic alteri haſce lucubratiunculas commodes, ut ad me non ampliùs redeant. Majoris enim momenti mihi habentur, quàm ut tam levi pretio abdicare eaſdem ſuſtineam. Tuæ ergò confidens integritati fidelitatique, atque adeò de utriuſque opellæ recuperatione ſecurus, hanc

quoque Colloquiorum partem ad te mitto, quam, credo legiſſe minimè pœnitebit, perinde atque priorem. Auctorem Operis hucuſque necdum novi: ſed quiſquis ille fuit, neque indoctus eſt certè neque indiſertus; eâdem ubique libertate uſus, quam tamen religio intra juſtos limites contineat ac temperet. Tota hæc pars niſi unicum Colloquium non complectitur, quod adeò ordine tertium eſt, duobus illis prioribus non-nihil prolixius; in quo præter ea quæ recenſui in literis meis prioribus de Liberis *quoque, ut vocant* Muratoribus *multa Medicus Theologusque diſſerunt familiariter. Idem ubique in Interlocutoribus candor reſplendet eruditis, eadem ac pietas ſed maſcula, ſed rationabilis: ut regula eſſe poſſit hæc elucubratio vel Epiſcopis ipſis, quam ſequantur. Sic autem Edicta Principis enodant vocantque ad examen, ut debitæ interim illî reverentiæ minimè deſint, atque unà tutentur quod eſt rectæ fidei religioniſque Catholicæ. Tu facilè de Operis utilitate ſoliditateque mecum convenies, licèt contineat quædam, quæ ineptulis quibuſdam hominibus, atque omnia ex uſu duntaxat præſente æſtimantibus, non ſint futura accepta. Publicius noſter ſpopondit, ſe tertiam quoque horumce Dialogorum partem mihi procuraturum, in qua agatur præterea diſſeraturque copioſè de Exemptionibus Monaſteriorum, Abbatibuſque Commendatariis, quos ait, ibi oſtendi apertiſſimè ſinè privilegiorum ju-*

riumque noſtræ regionis manifeſta violatione induci à Principe in Belgii Monaſteria minimè poſſe. Equidem perquam avidus ſum, ut obtineam videamque: ſed præſtolabor intereà donec adveniat, reſcriptum abs te, ac rogabo iterum iterumque, utì me ames & colas. Vale.

Ex PORTU FRANCO *Nono Cal. Jun.* 1786.

JOANNES PIUS Polygraphus.

Inter Theophraſtum Medicum & Valentinum Theologum

COLLOQUIUM TERTIUM.

Medicus. VIn,, Valentine, ut in proxima taberna æſtuans guttur refocillemus? Venit ibi optima cereviſia, atque etiam vinum omnis generis.

Theologus. Tabernas ingredior nunquam, vetantibus hoc Eccleſiaſticis regulis: ac penè ſiti mallem emori, quàm id facere. Jam ſat in contemtum ubique venit Clerus, ut non ſit opus, hujusmodi licentiâ atque Eccleſiaſticæ dignitatis ſpontaneâ abjectione illum adaugere. Si bene audio; pulſantur ibi & fides.

Med. Immò & ſaltatur. Hæ ſunt appendiculæ encæniorum, quæ ante duos dies in hoc pago celebrata ſunt. Ruſticus, nî tripudietur, potiteturque, atque impleatur venter à porcina ad omnem ſatietatem, ſe encæniâſſe minimè credit.

Theol. Audi, ùt reſonat aër rauco, varioque clamore; trepidatque terra à pedibus ſalientium.

Med. Diceres omnes, aut ſtultos, aut ebrios.

Theol. Et tu in eam domum me invitas, in qua ferè omnes inſaniunt, ubi ſedetur inter procos & procas, & juvenum tota cohors petulcit, beneque eſt pota?

Med. Sciebam ſatis, te id non fuiſſe facturum: ſed nec ego ipſe illuc me inſinuarem quoquo modo. Dum calent à potu diſſolutiſſimorum adoleſcentum capita, rixoſi ſunt, & facilè indè rediretur ab curioſo homine cum verberibus.

Theol. Dum alicubi encæniatur, confluit ex vicinis etiam pagis eò juventus, baculis in omnem eventum inſtructa, nodoſis, ferratisve probè. Facilè autem fit, ut ſive ob filias, quæ ferè adſunt, ſive ob antiquas inimicitias, ſeu denique ob rationes quasdam alias, exortis pugnis tundantur crania, eximantur cultri, ac ſanguis fundatur immodicè.

Med. Nuperrimè adhuc advocatus ſum ad moriturientem juvenem, cui cum ſociis laſcivienti in popina, exorto ob ſalacem puellam diſſidio, confracta fuerant crura, & caput ipſum tot vulneribus deformatum, ut eodem etiam die, vix digeſto, quo ſe oppleverat, potu, animam efflaverit.

Theol. Infauſtus exitus!

Med. Nempe Encænia huic adoleſcenti occaſio fuerunt ruinæ, & ſunt porrò aliis multis.

Theol. Antiquiſſimi in Eccleſia eſt uſûs anniver-

ſariam dedicatorum templorum diem celebrare; ſed quod initiô religionis causâ præcipuè eſt factum, hoc deinde ad intemperantiæ ac ſtultitiarum omne genus anſam præbuit multiplicem. Cum feſtivitate ipſa conviviorum, comeſſationum, compotationumque abuſus paſſim quoque invaluit. Quoniam verò Encænia ſoluerunt hucuſque pro locorum diverſitate in alios atque alios dies, ferè ex ordine cadere, ſoletque adeò per æſtatem ſingulis diebus Dominicis, nunc in hac, nunc in illa Eccleſia Dedicatio celebrari, mira illis diebus populi divagatio eſt; dum undique, à juvenibus maximè, illuc concurritur, ut Proceſſionis mirentur pompam, joculares ludos conſpiciant, in tabernis ſe ingurgitent, ſaltitent, voluptatibus ſe dedant, ... ut jam quod Gallicè dicimus *faire la Dedicace*, aut Flandricè *Kermis houden*, idem ſit, ſonetque vulgò, quod vacare menſis atque tripudiis. Adeò, mi Theophraſte, ab Avorum noſtrorum ſimplicitate, pietate, frugalitate, temperantiâ, degeneravimus!

Med. Nihil tam ſanctum eſt, quô denique non abutatur hominum ſtultitia atque perverſitas.

Theol. Sic Agapas abrogare olim neceſſum fuit: caritatis licèt eſſent convivia.

Med. Indignum eſt videre, quæ vel in Supplicationibus ipſis ſolemnibus, ſeu Proceſſionibus encænialibus quibusdam in locis fiunt; reluctante quidem paſſim Clero, ſed tamen nihil contra valente; quan-

quam neque Clerus ipſe, hoc quod attinet, eſt ſemper extra culpam.

Theol. Ludicras quasque repræſentationes, aliasque ineptias quascunque, abeſſe omninò à Proceſſionibus oporteret.

Med. Quid faciat Clerus contra impetum ineptientis vulgi, Gildarum, Confraternitatum? præſertim dum Encænia ſunt: & ſinguli aliquid excogitant, quô paſcant oculos adventantium curioſulorum.

Theol. Celeberrimum eſt, quod Lovanii, civitate totius Belgii noſtri doctiſſima, Encæniorum occaſione in annua ſupplicatione conſuevit fieri; à Paquotto in Notis ad Molani librum de Imaginibus, (*) copiosè deſcriptum; quod nulla hucuſque Epiſcoporum diligentia abolere potuit, nec poterit fortaſſis unquam, niſi Magiſtratus ipſe ſæcularis, aut Princeps officia ſua, auctoritatemque interponant.

Med. Seriò dudumque eſt cogitatum de mutandis, emendandisve Encæniis, nullo ſemper fructu, creſcente indies petulantiâ.

Theol. Rem fecit utiliſſimam Princeps, dum nupero decreto, jam aliquibus in locis publicato,

---

(*) In Supplemento ad Lib. IV. Cap. 18., edit. Lovan. 1771. in 4°, à pag. 503. ad 506.

mandavit, ut anniverſaria Dedicationis feſtivitas celebretur per Belgicas Ditiones ſuas omnes die eodem.

Med. Hoc jam pridem ante ipſum decreverant Synodus Cameracenſis anno 1550., Colonienſis anno 1536., Tornacencis anno 1589., pro ſuis unaquæque provinciis. Carolus item V. ac deinde ejus Filius Philippus II. id ipſum ſtatuêre pro Belgii Provinciis omnibus: quorum quidem poſtremus in Edicto anni 1598. diſertis verbis affirmat, ſe ita decernere, Parentisque ea de re conſtitutionem novare; ad amputandas occaſiones ebrietatum, rixarum, contentionum & homicidiorum, quæ ex alternis, ſibique de pago in pagum ſuccedentibus Dedicationum Solemnitatibus, frequenter adeò oriuntur.

Theol. Vix credas, quantoperè ob revocatas in uſum has leges murmurent ruſtici, cives, tabernarii, cereviſiarum coctores, alii multi.

Med. Et tamen Edictis illis veteribus juſſum præterea erat, ut ne annuam illam, communemque omnibus Dedicationem ultra diem unum extenderent: dum jam tale aliquid in Edicto illo novo non præcipitur, apertis minimùm verbis.

Theol. Sed eſt & alia quædam ratio, cur Edicto huic novo indignentur. Nimirum omnium gentium conſuetudo hoc habet, ut in Dedicationibus lau-

tiores inſtruantur epulæ. Decretum eſt autem, ut omnes illas celebrent alterâ poſt feſtum Paſchatis Dominicâ, quando & apud ruricolas porcina ferè omnis jam comeſta eſt, & ubique olera deſunt recentia, & vacant à pecuniis crumenæ in hyemales uſus eviſceratæ. Eſto, inquiunt, viſum erat Dedicationes reddere communes, omneſque ac ſingulas eidem tempori alligare : nonne multò fuerat commodius in mediam ſeu potiùs finitam æſtatem illas rejicere, quando olerum omnis generis copia affluit, & frumento repletis granariis, ſaginatiſque & ad jugulationem maturis, ſeu vitulis, ſeu porcis, ſeu denique tauro aut vaccâ effœtis, ad manum ruſticanæ ſunt genti, quibus ventrem lautè oppleant, onerentque redeuntes convivas. Laboratur ab illis annum integrum : æquumne ergò ſit, quod unicum ferè inter continuos labores atque ſudores oblectamentum habent, hoc ipſis eripere? Si Imperatori [ajebat ante paucos hos dies bubulcorum unus] aut ejus adminiſtris conſiliariiſque tam anguſta paſſim res eſſet domi, ùt nobis; laborandumque manibus & ſudandum aſſiduò; tum & victitandum pane rudi ac deburyrato dilutoque multâ aquâ lacte; non invideret enimverò miſeris, ſi per intervalla dieſque Dominicos aliorsùm nos recipimus, cum amicis & cognatis beaturi cutem, aliàs ſemper exſuccam; neque aſſignaret Dedicationi tempus, quando præ inopia rerum omnium jejunatur nobis penè magìs quàm in Quadrageſima. Sibimet Princeps, addunt alii, malè providus eſt : nam cereviſiarum, vinorum, &c.

vectigalia tanta non erunt ampliùs, & in foris illis annuis, deficiente populo, vix aliquid vendetur, ingenti cauponum, mercatorum, propolarum, Principisque adeò ipſius damno.

Med. Profectò, mi bone, Encæniatorum cauſam tu peroras & lepidè & bellè. Sed alienis, ſcio, verbis loqueris, non tuis.

Theol. Jam quid Clerus dicat, audi. Eccleſiarum, aiunt illi, dedicatarum annuam memoriam facere, res eſt ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinens, quantùm ſaltem ea attinet, quæ in templis divinisque Officiis peraguntur. Non igitur ordinanda arbitrio, legeque, ſæcularis Principis, ſed procerum Eccleſiæ.

Med. In prioribus illis Caroli V. ac Philippi II. Edictis faciendæ Dedicationis illius communis determinare diem relictum fuit Epiſcopis.

Theol. Principes iſti, aliquantùm religioſiores, ſi quando de re aliqua ſtatuere vellent, quæ Eccleſiam quomodòcunque tangeret, Epiſcoporum, ſive Cleri, conſilium exquirere non negligebant: quod & in eo reſtrigendarum, determinandarumque, Dedicationum negotio obſervârunt; mandantes, (*) ut in unaquâque provincia, pagorum, paro-

---

(*) » Ende om te weeren alle occaſien van dronc» kenſchappen, twiſten, kyvagien, ende doodſlaghen,

chiarumque ruralium Dedicationes uno eodemque die celebrentur, per Concilium Regium Provinciale, audito Epiſcopo loci, ſtatuendo.

Med. Edicta illa vetera ſolos pagos, parochiaſque rurales, ſpectabant; novum iſtud urbana quoque encænia complectitur; nimirum inter ruſticum & civem nullo facto diſcrimine, ùt par omnino erat in hac re.

Theol. Nunc quoque Encænia communia erunt dieſque Encæniorum idem omnibus Provinciis;

„ daer uyt ſpruytende, dickwils geſchiedende door „ de Vergaderynghen die men ghewoonlick is te „ doene van Dorpe tot Dorpe, ter oorſaeke van de „ Kermiſſen die aldaer ghehouden worden, volghens „ 't ghundt hier voormaels in deſen gheordonneert is „ gheweeſt by zyne Keyſerlicke Majeſteyt : ordon- „ neren wy, dat alle Kermiſſen van Dorpen ende „ buyten Prochien, op eenen dach in elke Provin- „ cie zullen ghehouden worden, zulke als by advy- „ ſe van de Provinciale Raede, daerop Raedt ghe- „ nomen van de Biſſchoppen van de quartiere ge- „ ſtelt ſal worden, ende dat de ſelve Kermiſſen „ maer eenen dach lanck en zullen dueren, op „ peine van vyfthien Carolus-guldenen, te misbeu- „ ren by de ghene ende eenen yegelicke die op „ anderen tydt oft meer dan den voornomden dach „ de voornomde Feeſte celebreren ſullen, oft hen „ daer zullen laeten vinden, voor ſoo dickmaels „ als t' geſchieden ſal. „ Edictum anni 1589. 22. Jun. Num. 9. in Collectione Edictorum Flandriæ tom II. pag. 172.

dum olim, etiam per illa Edicta, ſingulis ſaltem Provinciis Encæniorum dies diverſus eſſe poterat. Cæterùm ſi quibusdam ridicula aut ſupervacanea ſaltem viſa hæc de Dedicationibus lex eſt, alii certè multi ſunt, iidemque è cordatioribus prudentioribuſque, quibus vehementiſſimè probetur. Et verò cui credamus potiùs, rudi ignaroque popello, aut lucro duntaxat ſuo intentis propolis ac mercatoribus, an Magiſtratui, Principi, Epiſcopis, Synodis? Atqui his omnibus judicatum eſt, experientiâ longâ edoctis, è re eſſe non Eccleſiæ tantùm, verùm etiam Reïpublicæ, ut Dedicationum illa varietas, multitudoque, reſtringeretur. Si comeſſari omninò volunt noſtri homines, faciant quandocunque id allubeſcet; modò ne id fiat Dedicationum ritu, conviviis communibus, ludis, otio publico, ſupplicationibus. Quòd verò tempore jam parùm opportuno, deficientibus penè ad agitanda convivia rebus omnibus, haberi Dedicatio juſſa eſt, ſtudio fortaſſis eſt factum, ut ne in communi penuria helluari allubeat, maneantque ultro extranei convivæ ad focos proprios, ac diſcant plerique cives, hominesque inprimis è vulgo, in epulas unas alterasque non inſumere, quod per anni integri laborem & parcimoniam collegêre.

Med. Quandò communia erunt Encænia, & ubique in eandem diem cadent, defuturi ſunt hoſpites, atque adeò ſpontè erit, ùt tot ſumptus minimè fiant.

Theol. Fortaſſis & mens eadem fuit Tornacenſi Synodo, quæ anno 1589. habita præcepit „ Paſto-
„ ribus, ut Dedicationes omnium illius Diœceſis
„ Eccleſiarum, quæ eſſent in pagis, vel etiam in
„ ſuburbiis oppidorum, celebrarent uno eodemque
„ die, *idque quartâ* Dominicâ poſt Paſcha;" tunc ſcilicet quando non minùs atque Dominicâ ſecundâ hortenſium omnium rerum inopia plerumque adeſt. Sed jam diximus, Dedicationum annuam diem non comiſſandi, ſed religionis gratiâ celebrari debere.

Med. Sed quæ rogo, etiam in religione ſolemnitas eſt, quam non comitentur, ſequanturve epulæ? hæc gentium omnis temporis, locorumque omnium, conſtans conſuetudo fuit.

Theol. Nec repudianda penitus, ſi modò in hac re reſervetur ratio.

Med. Quod conqueritur Clerus læſam hoc Edicto ſuam poteſtatem, ſinè ratione facit: neque enim aliud fecit Princeps, quàm revocare in uſum, quod pridem conſpirantibus Epiſcopis unà cum Principe ſalubriter fuerat inſtitutum. Et quis non fateatur præterea, Magiſtratûs inprimis eſſe politici ſatagere, ut aboleantur ineptiæ illæ omnes, ac mala ingentia, multaque, quæ hucuſque Encænia ubique comitata ſunt. Quis non opifex ac mercenarius laborator; ad dies ſæpe multos vicina adibat encænia? ceſſante interim labore, ceſſabat & lucrum, merceſque

ceſque domeſtica; & quos habebant nummos ubi abliguriendo conſumpſiſſent, redibant denique ad dolam, rutrum, malleumve vacui penitus, capite adhucdum dolente.

Theol. Per encæniale Edictum non moribus ſolummodò, ſed œconomiæ etiam optimè conſultum eſt. Quod ſi in eodem de Officio divino, eo die ac per ejus feſti-Octavam in Templis peragendo, explicatum aliquid non ſatis eſt, aut conſtitutum non omninò legitimè; ſuppletum id deinceps per Epiſcopos eſt, qui voluntati hac in re condeſcendentes, obſecundantesque Principis per Literas Encyclicas injunxerunt ſubjecto ſibi Clero, ut in Eccleſiis quoque illud obſervarent ad amuſſim.

Med. Moſæ-Trajecti, inque vicis ac pagis ei urbi vicinis ad Fœderatas Batavorum Provincias pertinentibus par ante annos omninò paucos invecta diſciplina eſt: qualem & in Electoris Palatini ditionibus plerisque vigere aſſerunt. Quin & Epiſcopus Leodienſis ante unum ferè ſæculum, *Johannes Ludovicus*, ſpeciali Decreto præcepiſſe legitur anno 1692. 5. April., ut per totum quàm latè pateret, Decanatum Baſtonienſem Stabulenſemque dies anniverſaria Dedicationis Eccleſiæ cujuſlibet celebraretur inſimul atque unâ eâdemque die, Dominicâ nimirùm infra Octavam S. Lamberti, nec ultra illam diem quâcunque causâ ſive prætextu protraheretur. Quoniam verò Baſtonienſis Decanatûs pars aliqua

ſe extra dominium temporale Principis Leodienſis extenderet, eſſetque ſub poteſtate tum Regis Galliæ, ac propterea ſinè auctoritate Regis in iis locis publicari Decretum Epiſcopi non poſſet; Baſtonienſis Decanus à Senatu Regio Luxemburgenſi in eam rem *Placeti*, ùt vocant, Literas rogavit, impetravitque; videndas apud Éſpenium: unde & diſcimus non heri & nudiuſtertius tantùm de Dedicationibus cognoviſſe Principes, ſed jam inde à plurimis ſæculis; quippe certos ordinem civium politicum, ſeu bonum, ſeu malum, ab eadem re plurimùm pendêre.

Theol. At facilè etiam animadvertiſti, religioſos Principes, quando de Eccleſiarum Dedicationibus ſtatuere aliquid vellent, nunquam prætermiſiſſe exquirere conſilium, aſſenſumque Epiſcoporum, quod à noſtro quoque Principe par ſanè fuerat obſervari: niſi ipſum excuſaret, quod adhuc dicebam ſtatim; encæniali illo Edicto non tam condi legem novam, quàm revocari in uſum antiquam, eamque ab ipſiſmet Epiſcopis olim, vel conditam, vel confirmatam.

Med. Aliud quoddam memorat Eſpenius veterum illorum, peculiariumque, encæniorum incommodum; cui factis Dedicationibus jam communibus non erit deinceps ampliùs locus. Nempe in pluribus locis mos invaluerat, ut dum alicujus Parochialis Eccleſiæ anniverſaria Dedicationis dies celebrabatur, Paſtores vicinorum locorum Officia ſolemnia in ſuis Eccleſiis illo die omitterent, ſolitòque bre-

viùs citiùsque omnia peragerent, ut poſſent tempeſtivè ad Eccleſiam illam, cujus Dedicationis annua dies ageretur, adire, ibidemque Officio Divino intereſſe, Parochiarum propriarum damno non levi. Jam poſthac Paſtorum unicuique manendum per id tempus erit domi, ut feſtivitatem ſatagat propriam, nec diſcurſandi ultra dabitur anſa.

Theol. Mos ille, quem dicis, forſan ex veteri illa, eâque non contemnendâ, diſciplina originem habuit, quâ ſolebant vicini Epiſcopi, ùt ex omni Hiſtoria Eccleſiaſtica liquet, ſi quando nova exſtructa erat Baſilica, ad ejus Dedicationem convenire: quin & ad mutuam inter Parochos vicinos concordiam, amicitiamque fovendam, ſervandamque unitatem, nec non ad augendam diei feſti celebritatem mos idem conducebat non parùm. Sed ex alia parte noxius erat non uno titulo: nam prætérquàm quod in adjacentibus Eccleſiis Divina Officia hâc occaſione peragerentur feſtinantiùs, leviùsque, ac omitterentur etiam partim; populus prætereà excedente ſuâ Parochiâ Paſtore invitabatur veluti atque excitabatur illius exemplo, ad encæniorum vicinos locos excurrere, ſpectare ſolemnitatem, tum, quod hinc erat conſequens, ſolvi in petulantias, tripudiare, comeſſari, potare.... In Dedicationibus illis antiquis continebat in Officio populum, tum pietas ipſa innata, tum Epiſcoporum præſentia, raròque admodùm ejusmodi novarum Baſilicarum Dedicationes accidebant: nunc quando annuæ actæ ſunt, erantque in ſingulis Eccleſiis ſingulæ,

B 2

atque diverſæ, diverſorumque temporum; incommodis id genus innumeris dabatur cauſa, occaſioque ampliſſima.

Med. Agnoſcamus proinde æquiſſimam eſſe legem, ac fore perutilem; quidquid vulgus ignarus, querulique quidam homines obſtrepant.

Theol. Equidem vellem, ut de tabernis etiam aliquid ſtatueretur, minueretur que earum numerus, oppidò magnus.

Med. Hodie non in urbibus ſolùm, ſed vel in pagis præſertim ac ruri, excreverunt immensùm, ut penè tot popinæ apud ruſticos ſint, quot caveæ; immò plures alicubi, quàm caveæ.

Theol. Exſtant hac de re pulcherrimæ leges, ſaluberrimæque, à majoribus olim conditæ, ſed parùm obſervatæ. Hæ ſi urgerentur, vindicarenturque, pauciores quidem caupones haberemus, ſed honeſtiores; & qui poculenta divenderent ſaniora, melioraque. Nunc vel mendici ipſi vinum ſaltem aduſtum venale habent, & ruralia diverſoria multa latronum diverticula ac receptacula ſunt, ſeu antra promiſcuæ voluptatis. Et encæniorum ipſorum pleraque incommoda à tabernis oriuntur.

Med. Quas dicis de tabernis leges à majoribus noſtris quondam conditas, apud Anſelmum, Verloumque, recenſitas aliquando vidi ex ordine, ac deprehendi ſapientiſſimas. Unum in omnibus legibus noſtris, etiam optimis, communeque vitium eſt,

quòd non obſerventur; neque de iisdem curetur ſatis. Non eſt opus de tabernis ſtatuere aliquid novi; ſufficit renovari, revocarique in uſum, quod pridem negligentiâ judicum fuit antiquatum.

Theol. Legibus noſtris antiquis vetitum erat tabernas haberi extra vias & fora publica; in civitatibus verò juſſæ ſunt non ſemel ad minorem numerum redigi. Non licebat aperire erigereque tabernam ſinè expreſſo conſenſu Magiſtratûs, nec niſi iis, qui Fidei Catholicæ profeſſionem facerent. Intra leucæ unius ſpatium à civitate nullæ permittebantur omninò; nec quoque in Civitatum ſuburbiis, ſive vicorum pagorumque appendicibus, &c. Qui ex uno in alium locum cum familia tanſmigraret, ad aperiendam tabernam non admittebatur ſinè teſtimonialibus literis Paſtoris illius Parochiæ, unde diſceſſerat. Injunctum erat Prætoribus, ut tabernas crebrò viſitarent, bisque ſaltem in ſeptimana, illas quæ ùtcunque haberentur ſuſpectæ. Tabernarios leges noſtræ volebant eſſe homines probos & honeſtos, atque adeò ut nullos unquam reciperent apud ſe, qui vagabundi eſſent, otioſi, rixoſi, fures, ſeu de his vitiis ſuſpecti; quos inſuper, ſi ultrò ſe ingererent, jubebantur ſinè mora deferre ad Magiſtratum, ferinam in aliena venatione captam neque emere fas erat, neque vendere tabernariis. Quod ſi in eorum domo homicidium perpetrabatur, per tres annos continuos tabernarii eſſe ſive in eadem ſive in altera domo non poterant. Diebus autem Dominicis Feſtisque in tabernis morari tempore Summæ Miſſæ vel Veſpera-

rum, ſeu promere poculenta, inhibitum erat tam ſeverè, ut parentes ipſi hac in re pro filiis reſpondere tenerentur. Signum quæque taberna appenſum habere debebat publicum ac procul aſpectabile. Tum claudi quoque & aperiri jubebantur tempeſtivè & oportunè; neque ultra præſcriptum à legibus tempus verſari ibidem licuit; veſpere præſertim.

Med. Quid ſunt leges, ſi non obſervantur?

Theol. Splendida nimirùm imbecilli Imperii monumenta.

Med. Ante hebdomades tres vel quatuor, quum apud Lancſeldium eſſem, amicum noſtrum communem, diſſereremuſque de hac eadem re, oſtendit ille mihi, ùt eſt homo curioſus, & variis ſchediaſmatis antiquis dives, Diſſertationem per modum Theſeos olim propoſitam, propugnatamque, ſub Eximio tum Viro Bartholomæo Paſmanno in Univerſitate Lovanienſi S. Theologiæ Doctore ac Profeſſore, cujus argumentum erat, titulusque; *De uſu & abuſu exercendi & frequentandi popinas.* Quin & pro ea, quâ eſt, humanitate commodavit eam mihi tantiſper, ut legerem. Percurri ſemel iterumque legendo raptim libellum, quantùm mea ferunt negotia; multaque eum eruditione atque optimis documentis, quà moralibus, quà politicis, invêni refertum. Docet, oſtenditque ejus Auctor copioſè, plus peccatorum committi in popinis, quàm alibi univerſim: neque ullum eſſe Decalogi præceptum, quod non ibi violetur liberrimè, amſſimèque.

Theol. Scripſit Paſmannus Theſes hujusmodi alias complures, ùt ferè mos erat illius temporis; quas-inter alteram *De Choreis & Tripudiis*, alteram *De* 3tio *Præcepto Decalogi*; *ſive de Dominicis & Feſtivis diebus ſanctificandis*, in quarum utrâque ex occaſione de tabernis Encæniisque ſermonem adhuc habet.

Med. Non mihi viſæ ſunt eæ lucubratiunculæ, neque à Lancfeldio oſtenſæ. Sed alius quidam Auctor nuperrimè adhuc de popinis diſputavit, magnus illarum, ùt nunc ſunt, inimicus: modumque excogitavit, propoſuitque, quem ſi legibus ſuis præſcriberent Magiſtratus, curarentque ſervari, jam res illa ex ſua inſtitutione utiliſſima, tantis non ſcateret incommodis, neque morum perniciem inferret tantam.

Theol. Quis ille Auctor eſt?

Med. Nomen ejus non habeo cognitum. At Fellerus (*) de ea ſcriptiuncula cum laude meminit in ſuo, cujus lectionem nunquam omitto, Diario! Non dubitat aſſerere Auctor ille Anonymus infelici longâque experientiâ manifeſtum eſſe; quod tabernæ, popinæ, &c. locis, in quibus reperiuntur, tam ſint pernicioſæ, funeſtæque, ſeu moralia ſpectes, ſeu phyſica; ut meritò haberi queant perturbationum omnium, ſcandalorum,

(*) Journal de Luxemb. 1786. 15. Février, Pag. 312. & ſeqq.

Caſuumque ac opprobriorum, quibus turbantur Reſpublicæ, dedecoratur Religio, ad egeſtatem rediguntur cives, brutique adeo efficiuntur homines, horum, inquam, malorum omnium præcipuus fons & origo.

Theol. Acerrimus quoque in popinas eſt Eſpenius, qui & vetuſtas de iis patriæ leges recenſet, dignus, qui legatur à Magiſtratu, cujuſque ſcquatur monita.

Med. Non dubito, quin in tanto Edictorum numero, quæ adhuc exſpectantur, ſtatuendum hac quoque de re aliquid ſit; ac publicus rumor jam modò fert, id futurum omninò: quamquàm quidnam illud erit, necdum ſcitur.

Theol. Niſi minuantur popinæ, veteuturque divinorum tempore Officiorum adiri; niſi quoque jubeantur veſpertino tempore maturè occludi: quæ omnia decreta quidem ſunt quondam, ſed non obſervata; nihil fecerit Princeps.

Med. Factum non ſemel eſt, ut in caupona, quæ proximè, vel è regione ſacræ ſita eſſet ædis, dum in hac ſermo haberetur ad populum de Paſſione Domini, aut aliis religionis myſteriis, in illa tripudiaretur ad fides: & clamor laſcivientium juvenum, ſuperaret voces pſallentium. Prohibita quidem illa ſunt politicis Eccleſiaſticiſque Sanctionibus ſeverè, ſed neglecta à multis Prætoribus, quorum non pauci in pagis ruralibus, utut hoc quoque vetitum illis eſt

conceptis verbis, popinas ipſi tenent foventque, curantes non quæ ſui ſunt officii, ſed quæ proprii commodi atque compendii. Dum enim ipſi peccant in leges, quomodò eas in aliis vindicent? Cui accedit, quod Prætores ſæpe in locis, quorum cura demandata illis eſt, domicilium non habeant, abſenteſque adeò ab iiſdem paſſim, & quidem ad leucas non raro plurimas, munere ſuo, ùt par eſt, fungi neutiquam valeant.

Theol. Tinniunt mihi aures, Theophraſte, à vociferatione illa incondita, quam hic propter in taberna bibones edunt. Quàm turpis clamor eſt, quàm immodeſtus! ſi ſaltem parcerent diebus ſanctis; jam feſtus dies eſt, quando orandum eſſet, non pergræcandum. Si mei me non fallunt oculi, accedunt huc inde duo homines bene poti, vacillantibus tibiis; ſcipionibus, quoque, ſeu potiùs clavis, validis nodoſiſque inſtructi. Si hàc tranſituri ſunt, ùt videntur, meliùs fecerimus, ſi conſurgamus ab grata hac umbra, ſecedamuſque pauliſper à via. Ebriis hominibus, maximè quos non noveris, nunquam eſt fidendum. Potus ultra petulantiam audaciam inſuper addit, & mitiſſimos quoſque rixoſos efficit.

Med. Diſtringam acinacem, ſi nos invadant.

Theol. Malim me credere fugæ, quàm tuo enſi. Ego me recipio : tu ſi lubet periculum adi, & experire obtuſiſſimo gladio ac præter hoc rubiginoſo, quid valeas. Ruſtici feriunt Andabatarum more, oculis clauſis, toto conatu : nec deſiſtunt niſi hoſte confecto.

Med. Haud dabimus offenſionis cauſam : & te ſaltem, quem videbunt Sacerdotem, reverebuntur; mihique adeò parcent cauſâ tui.

Theol. Eccur nos committamus diſcrimini?

Med. Ergò quoniam vis; adeſt hic proximè ad latus in medio agro capella, ſeu ædicula Divo Antonio ſacra. Divertamus eò oremuſque parumper ibi, donec præterierint.

Theol. Faciamus. Nam & videre aveo, quinam ornatus ibidem adſint, quæ ſtatuæ ſeu imagines. Sed timeo, ne porta per ſeram ſit impedita.

Med. Nihil refert. Fores habet cancellatas cum patente ſemper atrio: adeò ut nunquam non in delubrum pateat proſpectus.

Theol. Adhæret muro ejus anteriori ſcamnum: ubi luſtraverimus, poterimus rursùm conſidêre.

Med. Tu, ſi voles, ſedebis, non ego : timeo à pulicibus, pediculiſque: nam rarò hàc tranſeas quin mendicabulorum globus ibidem otians, ſuos venetur vermiculos.

Theol. Animalcula hæc penè plùs quàm diabolum odi. Irrequieta ſunt ac mirè fœcunda : tum & aculeos habent ſubtiliſſimos, acutiſſimoſque, quibus dum aſſiduò, quos inſident, fodicant, morſitantque, nullam illis pacem relinquunt. Ego, ſi vel unum in lecto meo habeo, dormire non poſſum.

Med. Æſtatem ergò totam inſomnis es? Nam vel abditiſſima cubilia impudens inſectum penetrat, nitidiſſimaque. Quid ſi Medicus eſſes aut Paſtor animarum, qui inviſere ægros, ſæpe pauperrimos, familiariter cum iis agere, tangere venam, audire confeſſiones arcanas, miniſtrare Sacramenta deberes? Et numquid non legiſti de Labræo & Franciſco?

Theol. O te hominem garrulum!

Med. O te delicatulum!

Theol. Ego autumo ſanctum hominem eſſe poſſe, quin ſordidus ſit. Quod verè vos Medici & animarum curatores non adeò hæc exhorreſcitis, pertimeſcitiſve, ab munere veſtro venit & aſſuetudine. Cæterùm, perinde ùt ego, mavultis adire loca munda, quàm contaminata; ægros inviſere bene curatos, quàm ſordidos atque neglectos. Si mei muneris forete juſmodi officia præſtare, facerem ſanè, quod deberem, & plus quàm deberem: nam & modò, cùm ex officio minimè teneor, miſeros afflictosque viſere non negligo. Sed age intremus ſacellum; pendentem togam pauliſper attollo, ne humum verram, ...

Med. Vide ut attritum veſtibulum eſt ab affluente indies turba, & peregrinis, quos religio hùc advocat.

Theol. Stat in media ara Sancti effigies, ſculpta non admodùm peritè. Sub ipsâ imago adeſt cruci-

fixi JESU; ſed modica illa, atque inter prælta candelabra, cæteraque ornamenta vix conſpicabilis.

Med. Præſtaret, meo judicio, collocare Sanctorum imagines, non in altaris medio ac præcipuo loco, ſed ſive in ejus latere, ſive in alio quopiam oportuno loco, ab aris remoto. Jam eſt quaſi ſi Sanctus, qui repræſentatur, præcipuum foret religioſi cultûs objectum, adoraretur que à fidelibus, neglecto Chriſto: quod, falſò licèt ac per meram calumniam, dictitant de nobis, ac plenis buccis divulgant Acatholici.

Theol. Sanctorum imagines in id præcipuè adhibentur in templis noſtris, ut illarum conſpectus virtuti ſtimulos addat, rerum per ipſos pro fide ac religione egregiè geſtarum recordationem in animis fidelium excitet, exſtimuletque adeò homines ad eorum imitationem: ſive ut in imaginibus aut coram ipſis invocetur Sancti patrocinium pro hominibus apud Deum: Sancti enim [multòque minùs eorum reliquiæ aut imagines] ſeipſis conferre nobis nihil valent; niſi orare pro nobis & intercedere per merita Chriſti, qui eos coronavit: quæ omnia ſatis nôrunt, quotquot in Catholicorum doctrina ac Dogmatibus ritè ſunt inſtituti. Attamen quoniam aræ Deo uni exſtruuntur, ùt cui ſoli licet ſacrificia offerre, in ſupremi videlicet Dominii in res omnes creatas agnitionem, teſtificationemque publicam, præſtaret, quod rectè obſervâſti, vel Sanctorum imagines non collocare in aris omninò, vel ſaltem

non ponere in loco earum præcipuo : quod, ùt modò ferè ſit, non laudo penitùs. Tametſi & illi, qui ſic illas ſtatuunt, non faciunt adorationis gratiâ, [*] ſed vel ornatûs memoriæve, vel venerationis, quæ Sanctos ipſos reſpiciat, ejuſdemque præ Divina infinitùm minoris, inferiorisque. Candelabra humilia eſſe oportet, aut ſaltem non immodicè elata vel curioſa, ne in ſe oculos attrahant intuentium : Crucem verò altiorem atque conſpicabiliorem; imaginem videlicet paſſi pro nobis Hominis-Dei, cui unî cum Patre & Spiritu S. divinam Hoſtiam litamus.

Med. Ego aras ſimpliciſſimas eſſe vellem : ac tales, quas nunc vulgari nomine *Romanas* vocamus; tabulam videlicet ſeu menſam oblongam, lapideamque, quatuor aut pluribus inſiſtentem columellis; in cujus medio inter candelabra quatuor aut ſex emineat Salvatoris è cruce pendentis imago, ſculpta à perito artifice.

(*) „ Nos Martyres noſtros.... Pro diis non „ habemus, non tamquam deos colimus. Non eis „ Templa, non eis Altaria, non eis Sacrificia exhi„ bemus. Non eis Sacerdotes offerunt : abſit. Deo „ præſtantur. Immò Deo iſta offeruntur, à quo nobis „ cuncta præſtantur. Etiam apud memorias Sancto„ rum Martyrum cùm offerimus nonne Deo offeri„ mus? Habent honorabilem locum Martyres Sancti. „ Advertite : in recitatione ad Altare Chriſti loco „ meliore recitantur ; non tamen pro Chriſto adoran„ tur. " S. Auguſt. Serm. 273. novæ edit. tom. 5. col. 773. Num. 7.

Theol. Noſtris diebus excitantur aræ immenſæ molis, ſtructuræ variæ atque magnificæ : quod quidem non eſt vituperandum, ſi ad rem adeò ſublimem & ſanctam, quæ ſuper iis peragitur, attendimus: modò cum judicio ac ratione ſubſtructiones illæ fiant. Sed accidit frequenter, ut ambitioni magìs quàm religioni in his rebus ſtudeatur; dumque aut artifices pro arbitrio eas ordinant, aut privatus è Clero aliquis, guſtûs non undiquaque boni; admiſceantur ineptiæ, atque in Eccleſiaſticos ritus, ac rectam diſciplinam peccetur multipliciter.

Med. En divi Antonii ſtatuam in Altaris medio collocatam, quàm ſit ſculpta ruſticè. Adſtat ad pedes ejus ſculpta itidem ſus bene paſta; Symbolum quidem rei geſtæ aut myſtica ſignificatio : ſed qualem tamen imaginem in aris ipſis conſtituere non decuerat. Alibi videas D. Martinum enormi inſidentem equo, chlamydemque diſſecantem per medium ac partientem cum egeno; vel D. Hubertum, ad cujus latus adſtet equus, cui inſederit, canesque venatici, ac cervus prætereà ramoſis ſalutarique ſigno illuſtribus cornibus, in aris itidem ipſis mediis Sculptoris manu repræſentatos. Non vacant, ſcio, ſaluberrimis monitis documentisque hæc Symbola, vocantque in memoriam res geſtas Sanctorum illorum Virorum : at ægrè fero, in Altaribus ipſis eadem ſtatui, quando Crucis imago, quæ ibidem adeſt, tam eſt mediocris, humilisque, ut vix conſpiciatur.

Theol. Hoc eſt quod dixi; dum Sacerdotum

quisque, aut curatorum, vel artificum, ignarorum ſæpe hominum, ararum ſubſtructiones concipiunt, faciuntque pro ſuo ſenſu, multiplicem in ea re committi abuſum, non apertè quidem graviterque noxium, ſed tamen qui rectum ordinem & decorem; tum verò maximè ſagaces paullòque acutiùs cernentes oculos intuentium lædat, offendatque. Crucem verò inprimis quæ in altari nunquam non poſita eſſe debet, grandiorem eſſe oportet, ac omnibus conſpicuam; [*] ùt quæ in mentem revocet, quid ibidem rei, in cujusque memoriam & cultum peragatur: adeò ut ne expoſito quidem venerabili Sacramento omittere hoc liceat. Et quid rogo aptius excitandæ pietati, attentionique animi, tum in

---

(*) „ Illud permittere nullatenus poſſumus, quod „ Miſſæ Sacrificium in his Altaribus celebretur, quæ „ careant imagine Crucifixi, vel ipſa incommodè „ ſtatuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita „ tenuis & exigua ſit, ut ipſius Sacerdotis & populi „ aſſiſtentis oculos penè effugiat: id enim alienum „ eſt à legibus & inſtitutis Eccleſiæ, quæ in Rubricis, „ aliisque Eccleſiaſticis Sanctionibus continentur: id „ etiam maximè contrarium eſt ſacræ antiquitati, & „ Eccleſiarum, etiam Orientalium conſuetudini; ita „ ut certiſſimum ſit violari leges Eccleſiæ, ſi exigua „ ſolùm imago Crucifixi præfigatur minori tabulæ „ vel ſtatuæ Sancti, qui ſuperadditur, ut illum fi„ deles venerentur." Benedict. XIV. in Bulla *Accepimus* anni 1746. 16 Julii; & in Opere *de Sacrif. Miſſæ*, edit. Lov. tom. I. pag. 28. & tom. II. pag. 331. & ſeqq.

ſacrificante, tùm in fidelibus ipſis, qui rei tam ſanctæ interſunt? ut adeò Iconomachi ipſimet dum ſacris imaginibus indixêre olim bellum, ei ſaltem plerumque pepercerint.

Med. Quid ſibi volunt cortinæ illæ duæ ad utrumque altaris latus pendentes hinc inde, atque reductæ?

Theol. Apud majores noſtros cortinarum ad aras uſus erat communiſſimus, variarum quoque Synodorum ſanctionibus præceptus. Adhibebantur autem, tum ut Sacerdos ad aram faciens ab utroque latere illis expanſis non turbaretur in ſacro miniſterio ab adſtantibus; tum ut aræ ipſæ extra miniſterium velatæ eſſent abſconſæ tectæque penitus; nec niſi certo ſpatio temporis determinatoque patêrent oculis fidelium. Legere hac de re poteris, quando vacabit, librum, cui titulus: *Pratiques de piété pour honorer le S. Sacrement* (*), Bruxellis, ni fallor, impreſſum anno hujus ſæculi 1712. in cujus Operis pientiſſimi profectò doctiſſimique fronte iconem etiam reperies altare ad eum quem dixi, modum cortinis inſtructum repræſentantem; nec non Henrici Swaenii *Theſes Apologetico-Practicas de Adoratione, veneratione ac uſu venerabilis Euchariſtiæ*, (†) ubi eadem ipſa ferè repetuntur. De Cortinis hujuſmodi Brunus quoque agit in præclaro Opere de Cæremoniis Miſſæ variis locis. Reor au-

(*) Pag. 162 & ſeqq. (†) Lovan. 1690. P. 27 &c.

tem quoniam Sacellum hoc arctum eſt, atque ab affluente populo ſæpe ita oppletum, ut Sacerdotem Sacra facientem proximè circumſtent, cortinarum antiquum uſum hic loci adhuc cuſtoditum commodo Sacrificantis. Sed quid aiunt de Sacellis? fert fama futurum ut brevi aboleantur nullo diſcrimine.

Med. Nullo diſcrimine? non credo. Abolenda autem plurima vix dubito. Sed aboleantur quædam; quid tum? Sunt pleræque Capellæ Parochialibus Eccleſiis perquàm noxiæ: dum populus illarum occaſione ab his avocatus, atque unâ alterâve quam in illis audit, Miſsâ contentus, conciones, Cathecheſes, cæteraque Officia divina adire negligit; qua ex re fit, ut neque Paſtores vultum ſui pecoris agnoſcant pro debito, neque oves audiant vocem ſui Paſtoris: ut eum hæ neque ament ùt oportet, neque vereantur, ùt cujus miniſteriò vix videantur uti: ut denique, tam è vulgo, quàm ex ingenuis, adeò multi in fidei ac religionis principiis ignari omninò ſint, maneantque; & quod hinc conſequens eſt, mores foveant, aut brutos planè ſtupidoſque aut certè parum Chriſtianos. Jam de Oblatis quid dicemus? Hæc quæ fierent alioquin in Eccleſiis ipſis Parochialibus, ceſſuraque fuiſſent in uſum templi, ſeu egenorum aut Parochorum ſaltem, quibus non adeò pingue ſalarium eſt; oblata, inquam, hæc vel in inutilis Sacelli adhibentur, ridiculum ſæpe ornatum, ineptumque; vel in alimentationem Sacerdotis ſupervacanei, ſeu in res magis adhuc inutiles. At tamen Sacella quædam ſunt &

utilia & neceſſaria. Illa nimirum, quæ in Parochiis quibuſdam habentur nimium amplis atque extenſis, in earum ſcilicet finibus aut vicis ad commodum fidelium abs ſua Eccleſia paullò remotiùs morantium; quæ & ſuos Sacerdotes habeant, homines minimè indoctos, altoſque honeſtè, qui ſubſidiaria Parochis opera rem ibi ſacram curent, populum inſtruant, eidem invigilent ac doceant cum religione etiam mores meliores.

Theol. Quis hanc Sancti Antonii ædiculam curat?

Med. Rem ſacram in ea facit Sacerdos quidam, vir bonus ac ſenex, habetque non procul hinc domum luteam ac penè ruſticanam, quam inhabitat. Cæterùm venari olim ſolebat aut piſcari, fallendi temporis causâ, lucrique: tametſi modò ab ætate ac diſcurſatione multa plumbeos ac tardos trahens pedes vix ampliùs niſi ad hortum ſuum, Sacellumque egreditur. Vivit autem partim ex pecuniis, quas vicini homines annuè conferunt, partim ex oblatis, quæ in Divi honorem hic fiunt in pecunia, carnibus, frumento, &c. ab adventantibus peregrinis.

Theol. Habetne quandoque concionem ad populum. ?

Med. Minimè verò. Bis tantùm per annum è ſuggeſtu hic dicitur: ſemel in feſto die Sancti, iterum in anniverſario Dedicationis ædiculæ, utrâque vice ab religioſo Patre ex Ordine mendicantium, cui ob hanc rationem oblatarum carnium, pernarum imprimis, pars quædam cedit, honorarii loco.

Sacelli autem rector Sacerdos Catechiſmum explicat familiariter, ſed perfunctoriè admodùm ac ſegniter, homo ſcilicet annoſus jam ac valetudinarius.

Theol. Docet-ne pueros legere ac ſcribere?

Med. Nequaquam. Deberet quidem ex ſtipulatione hoc facere, ſed ſubſtituit è ruſticis quemdam qui id faciat ſuo nomine, cui ob hoc obſequium præter tyronum minervalia, quæ ſunt permodica, nummorum quoque aliquid concedit in annos ſingulos.

Theol. Sic eſt utrique de neceſſariis proviſum parùm liberaliter, & plebi peſſimè ſervitum.

Med. Sunt in noſtra patria Capellæ ferè ubique magno numero, in quarum pleriſque dum populi inſtructio aut omittitur penitus, aut languidè fit flaccidèque, vix credas, quanta in multis plebibus à parochiali templo aliquouſque diſſitis rerum ad ſalutem pertinentium ſit inſcitia. Facerem periculum te coram, ſi puer occurreret: ſed jam fortè, fortuna nullus adeſt.

Theol. Ingenuè fateor, nunquam non animo me ſenſiſſe, Capellas illas promiſcuas abolendas, parochiarum ubi opus eſt, numerum augendum; Capellas, quæ relinquantur, ſubſidiarias eſſe debere matricis Eccleſiæ, præficiendos illis Sacerdotes & pios & doctos, qui confeſſiones audiant adhabitantium, eoſdemque in fide ac bonis moribus ſedulò inſtituant, ſuperſtitiones è vulgi animis eradicent

quaſlibet; verbo, qui veri animarum Paſtores ſint, ſed ſubſidiarii: in illis videlicet locis, quæ à præcipua Eccleſia aliquantùm ſunt remotiora.

Med. Amat plebs vulgaris Capellas, vetere, neſcio quo, præjudicio.

Theol. Et tamen Tridentinæ Synodi monitum eſt Seſſ. 24. de Reform. „ teneri unumquemque „ parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè id fieri „ poteſt ad audiendum verbum Dei ". Ac Synodus ultima Leodienſis, ut alias multas prætercam, vult ut contra eos „ qui ad tres continuas ſeptimanas „ diebus Dominicis & feſtivis abſque legitima cauſa, „ vel ſui Paſtoris licentiâ abſuerint, ad pœnas ca- „ nonicas & ſtatutarias antiquas illius Diœceſis „ procedatur nec refractariis teſtimoniales pro Ma- „ trimonio literæ priùs concedantur, quàm debitè „ pro negligentia ſatisfecerint ". Quâ ex re liquet non conſilii, ſed officii eſſe fidelium, parochiales Eccleſias frequentare, merumque eſſe abuſum, ſi ſinè ratione aliorſum ſe recipiant.

Med. Hæc ſi ita ſe habent, peccatur in hoc præceptum frequentiſſimè, tum ab illis, qui neglectis parochialibus Eccleſiis, prædicationeque Paſtorum, Capellas ferè adire amant etiam diebus feſtis; tum qui nobiles cùm ſint, paullòquè ſupra vulgum locupletiores caſtrenſi miſſulâ contenti ſunt; tum quoque ab iis, quibus eſt uſus ac conſuetudo, Monachorum adire templa, ſpretis propriis. Sed eſt opinandum; non crudè eam legem debere intelligi;

maximè cùm ipſamet Tridentina Synodus ſe explicet, dicens, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, [*ubi commodè id fieri poſſit.*] Verumtamen cum omnibus his fatendum eſt ingenuè, noxias paſſim magis, quàm utiles Capellas eſſe: eas præſertim in quibus Miſſæ ferè tantùm dicuntur ſinè Concionibus aut Catecheſi. Nulla penè eſt quæ ſuas Reliquias non habeat, Indulgentias, ſtatuamve alicujus Sancti miraculoſam: plebs autem credula, atque ultra modum ſæpe religioſa, occaſionem arripit, excurritque; dumque Sanctos aut Deum peculiariter honorare ſe autumat, in Eccleſiaſticas ipſas leges interim peccat.

Theol. Aiunt, in ditionibus quibuſdam exteris, diſſitiſque, ſed Principi noſtro ſubjectis, id conſilii jam modò captum ut ædicularum illarum pleræque aboleantur: nec dubitat nemo, quin apud nos pariter capiendum ſit brevi, mandandumque executioni, non refragaturis, nec laturis, hoc gravatè indignèque Antiſtitibus.

Med. Neſcio an paſſurus ſit hoc fieri apud ſe Herendalienſium popellus: Nuper enim cùm ex aſſenſu Epiſcopi ſui id facere attentâſſet loci illius Parochus vir cordatus providuſque cum parte Magiſtratûs, non tulerunt novos ùt illi vocabant, Iconomachos: ut adeò operariis, qui demoliri fana ſuperflua jam modò occœperant, præ lapidum metu verberumque deſiſtendum ab complenda ruina protinus fuerit, capeſſendaque fuga, quò ſe reciperent

in tutum. Quapropter ut obvietur tumultibus ac ſeditioni, utendum multâ prudentia erit docendusque ac perſuadendus vulgus, è re ipſius-met religionis eſſe, ut ædicularum harumce quædam dejiciantur.

Theol. Quod de Herendalio narras vix crederem, niſi audirem referri abs te, quem ſcio mentiri nunquam vel gratiâ joci. Adeòne bellicoſi iſti cives ſunt? adeò religioſi? Mirum ſi Paſtori ſaltem ſuo, Epiſcopoque non obtemperârunt, viris utique prudentiſſimis, doctiſſimisque.

Med. Opinati ſunt facilè ſtultuli, eos in hac re Principi velle adulari, cùm ſint homines integerrimi, qui aſſentari nemini queant; ſed cæcum eſt vulgus, & nunquam non ineptum. Memores quid olim apud ſe feciſſent Iconoclaſtæ tumultuarii, impiique, timuerunt videlicet de horum ſpiritu jam aliquid redire, foreque actum de religione quoque ipſa, ſua in civitate, ſi vel Capellam unam apud ſe permitterent dejici.

Theol. Quid ergò fecêre, dum juſſum à Supremo Principe eſt, ut nova extra civitates Cœmeteria deſignentur eriganturque, in quibus tumulanda ſint mortuorum civium corpora; ſepulturâ quâlibet urbanâ poſthàc ſeverè prohibitâ, nullo ſtatuum conditionumque diſcrimine?

Med. Deliberatum ab illis eſt hac de re diu: ſed quoniam municipio quàm oppido ſimilior eſt locus;

nec domibus incolisque affluit, ſed multum habet in ſuo ſinu patentis agri, ruſticatione etiam gnaviter ab civibus exercita, facilè ab hoc onere legeque exempti ſunt, magno illorum gaudio, aliorum joco plurimo. Cæterùm legis parte altera, quâ vetantur generatim mortuorum quorumcunque cadavera inhumari in ipſis-met templis locisque ſacris, obligabuntur ùt reliqui.

Theol. Quoniam de Cœmeteriis ſermo nunc incidit : credisne ab ſepultis intra oppidorum mœnia corporibus tantum eſſe periculi, ut meritò ob hoc faceſſere juberentur extra illa, præter morem tamdiu jam, apud noſtros ſaltem homines ſervatum? Tuam, mi Theophraſte, de hac re ſententiam expeto, audiamque tantò lubentiùs, quòd Medicus es, & ea quæ ad valetudinem quomodòcunque pertinent, notiſſima habes multo ſtudio, longâque experientiâ.

Med. In Eccleſiis aliisque, dicatis Deo ædibus, tectoque concluſis, ſepelire cadavera, præterquàm quod indecorum videtur & loci ſanctitati nitorique minimè conveniens, eſt etiam corrumpendo, qui in iis eſt, aëri, jam aliunde ab locorum occluſione affluenteque turba plerumque non puro, mirè conducens : præſertim ſi frequenter promiſcuèque hoc fiat, nullo habito inter morbos, quibus occubuerint humandi, diſcrimine. Mortuorum enim corpora vicinum quemque ſuis effluviis inficiunt, nec fœto-

rem tantùm, ſed malignitatem quoque ſuam illi communicant. Neque dicant, aggeſta plurima humo ſolere inſterni, ac demum pavimento ſeu grandiori lapide ſolerter occludi. Nam ſæpiùs eſt factum, ut vix ad pedem unum effoſsâ terrâ feſtinantiſſimè, neglectiſſimèque conderentur, deinde lapides ſic reponerentur ſuper tumulum, ut non modò non cohærerent, ſed deſiderent quoque & hiarent ſpiraculis rimisque prælatis, præter cavitatem inæqualitatemque ſoli turpem & incommodam. Deinde etiamſi omni ſedulitate quod aïunt, fieret: nonne aperiri identidem pavimentum debet, & moveri loco humus, quotieſcunque rursùm ſepeliuntur alii? fac autem tres quatuorve aut plures ex una eademque tribu intra ſpatium temporis mediocre ac breve fatis concedere, cùm plerumque ſepulchretum unum atque adeò ad humandos mortuos ſuos modicum paſſim locum integra familia ſeu domus coëmtum ſibi deſtinatumque in templis haberet, fiebat non raró, ut fumantibus adhuc & peſſimè olentibus à putredine cadaveribus ſepulchra aperirentur, concluſusque adeò aliquandiu & acervatus in unum corruptiſſimus aër ac penè peſtilens, erumperet pariter ſeſeque per totam latè ædem ſacram diſpergeret, eo ipſo ferè tempore, quo ad exequias conveniebat populus: ex quo deinde fieri neceſſum fuit aliquando, ut ſepultum diu morbum attraherent ſibi, futuri deinceps victima illorum ipſi-met, quibus parentâſſent.

Theol. Optimè ratiocinaris & ad ſententiam quoque meam appoſitiſſimè. Teſtatur namque Pauwe-

lius [*] in *Theologia* ſua *practica*, ubi de ſepulturis agit, quod veſperi aliquando vocatus ad adminiſtranda extrema Sacramenta ægroto, intrans Eccleſiam, dum fores occluſæ fuiſſent, ſenſerit neſcio quid fœtoris turpis ab exhalationibus, quas ſepulta ibidem corpora ex ſe emittebant. Præterea profanum eſt, ac penè ſacrilegum collocare in ipſis-met Eccleſiis ac ſepelire cadavera illorum, qui dum viverent dæmonis fuerunt mancipia, quorumque animæ jam deſunctorum habitant in inferno. Ubi autem in templis ſepulturæ permittuntur, proniſſimum eſt, hujuſmodi indigniſſimam rem, profanationemque loci ſacri, accidere. Priſcis temporibus in Eccleſiis ſepeliebatur nemo; tunc quoque quùm ſepeliri non vetarentur omninò mortui in Civitate vel prope templa. Sola ferè corpora Martyrum ac deinde aliorum etiam Sanctorum in iis tumulabantur; immò ſuper iis erigebantur altaria, ſeu memoriæ, in quibus ſacrificaretur.

Med. Eſt igitur, cur indignemur Præſulibus quoque ipſis, qui eò uſque modò proceſſêre, ut vel ſub ipſis-met aris ſanctis, vel in medio templi ſanctuario, ſepulturam habent conſuetam, vel viventes adhuc ſibi eligunt: religioſè quidem, ùt illi autumant, ſed parùm decorè.

(*) Nicolaus Pauwels, inſignis Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Lovanii Plebanus & Canonicus, nec non Diſtrictûs Lovan. Archipresbyter ac Lectionis Catecheſeos Profeſſor regius, vir magni uſûs atque conſilii. Obiit 1713. 22 April. Ætatis 57. Vide Paquot Mem. Litter. des Pays-Bas tom. 10. pag. 75. & ſeqq. edit. in 8°.

Theol. Habebantur veteribus, eodem animadvertente Pauwelio, Eccleſiæ ùt loca Sanctorum, & qui in illis ſepeliebantur, eo ipſo quaſi referebantur in eorum album. Atque adeo apud Euſebium legimus Conſtantinum Magnum, Imperatorem, tam de religione Chriſtiana optimè meritum non in Eccleſia, ſed in ejus atrio, ſpecialis cauſâ honoris fuiſſe conditum. Secutis deinde temporibus cœperunt Epiſcopos, Abbates, Sacerdotes quoque in templis tumulare; poſtmodùm etiam Laïcis ipſis honoratioribus id fuit conceſſum, non admodùm invitis Parochis, qui è nobilioribus illis exequiis lucrum compendiumque inveniebant minimè ſpernendum. Donec denique quiſquis ſolvere potuit in Eccleſia ſepeliri voluit, tanquàm dedecus jam eſſet jacere ſepultum in communi Cœmeterio.

Med. Duo præcipuè peſſimam eam conſuetudinem tenuerunt, foveruntque; cupiditas in Clero, & ambitio in populo.

Theol. A Steyartio, laconiciſſimo Scriptore, eam ſententiam hauſiſti; ſiquidem ille iiſdem penè verbis eam effert in ſuis Aphoriſmis Theologicis. Non dubito tamen, quin in ipſo conſuetudinis initio partem quoque habuerit, & fortè præcipuam religio, dum pro affectu quem habuiſſent fideles erga Sanctum quempiam, ejusve reliquias, aut loca ipſa ſacra, deſideraverunt ibi adſepeliri, futuri quoque hac ratione, ùt illi fortaſſis crediderunt, eorum tutelæ ac patrocinio viciniores; vel opinati ſunt ſepultorum in templis hominum mortuorum ani-

mas fundendarum in iis precum liberaliorem in modum fore participes : donec denique, ùt ais, duo illa vitia, Cleri cupiditas, populique ambitio, ei rei ſe etiam immiſcuêre.

Med. Res denique eò devenerat, ut permultæ Eccleſiæ ſepulchretis eſſent & catacumbis, quàm templis ſimiliores. Heverlæanum Cœleſtinorum Patrum templum aliquando vidiſti?

Theol. Vidi olim & luſtravi ſedulò. Monachi qui ibidem incoluêre à tribus ferè ſæculis, faceſſere non ita pridem juſſi ſunt è ſuo monaſterio; ita ut vacet modò ab habitatoribus, paſſereſque in eo ac bubones : [proh piaculum!] nidulentur liberrimè. Statis nihilominus diebus Sacerdos adhuc quidam rem ibi ſacram facit ad aram, Arembergico Principe, Catholico inprimis pro more illius domûs & pio, curante. Hujus olim majores pro ſua in Deum pietate Cœnobium iſtud fundaverant proximè ad ſuam arcem, ut eſſent qui pro ſe orarent continuò atque ubi orationi ſubinde incumberent ipſi. In hujus Aſceterii ſacra æde ſepulturam ferè habuêre uſque ad noſtros hos dies.

Med. Tot in illo templo gentis iſtius nobiliſſimæ mauſolæa erecta ſunt tumbæque mortuales, tot reperiuntur ſtatuæ, equeſtres, pedeſtres, loricatæ, galeatæ; figuræ heroum hominumque aliorum, ſtantes, flectentes, jacentes, ſedentes; tropæa omne genus armorum, bellîcorumque inſtrumentorum complectentia; lapides vegrandes ſepulchrales; Epitaphia; inſcriptiones obituariæ, genealogicæ, hiſtoricæ, aliæ; ut penè dubites fanum intrans,

Deo-ne ſacrata domus ſit, an marti ſeu Libitinæ, funerum ſcilicet deæ. [*] Quæ ipſa in aliis quoque Eccleſiis videre eſt valde multis, quamquàm non tanto numero.

Theol. Jam de armis ſeu inſignibus gentilitiis quid dicemus, quæ longa ſerie pendêre in illis ſolent è parietibus?

Med. Hæc omnia ſacras ædes turpiſſimè deſigurant. Illud maximè mirandum, dignumque vituperio, quod Epiſcopi ſæpe ipſi, Abbatesque, in templorum principe loco, Sanctuario inquam, ſive ejus lateribus, mauſolæa ſibi deſtinent, tam ſæpe ſplendida ac magnifica, ut cum ipſis-met aris pretio arteque decertent, aut ſaltem locum adeò ſanctum, qui Dei ſolius eſſe deberet, ſua amplitudine anguſtent, occupent, ac luridum triſtemque reddant, ad vanitatis ambitionisque eorum oſtentationem perennem atque perpetuam etiam poſt mortem.

Theol. Ingemui ſæpe numerò hæc videns. Ceſſabunt autem deinceps hujuſmodi abuſus, ex quo Edicto publico eſt inhibitum in Templis quemquam ſepelire, quiſcunque ille fuerit. S. Carolus Borromæus Eccleſiæ fulgentiſſimum illud ſydus, quum reſtaurandæ in Eccleſia Mediolanenſi meliori diſ-

---

(*) Habes hæc omnia amplè deſcripta in R. P. *Nicolai de la Ville Atrebatis*, *HEVERLEA CELESTINA*. Impr. Lovan. apud Cœneſtenium 1661. in-12°.

ciplinæ adjeciſſet animum, inter cætera reformationis capita hoc quoque non neglexit, ſublatis è templo principe monumentis funerariis omnibus, quæ ibidem exſtarent, tropæis quoque profanis multis variiſque, quæ magnificentiſſimam pulcherrimamque alioqui ædem profanæ baſilicæ, quàm Sacræ reddebant ſimiliorem. Quò autem omnibus ſuo præiret exemplo nobilibuſque adeò familiis murmurandi præriperet omnem anſam, initium duxit Cardinalis Sanctiſſimus à gente propria, tranſpoſito in locum alium Avunculi ſui tumulo ſubſtitutiſque in ejus vicem artificioſiſſimè ſculptis figuris D. Ambroſii vitam, ac res geſtas, repræſentantibus, ùt hæc narrantur in Bercaſtelli, Hiſtoria Eccleſiaſtica (*). Quam etiam in rem multa præclarè conſtituta ab illo ſunt, in Synodis variis abs ſe habitis (†).

Med. Fuit S. Carolus ſubactiſſimi Antiſtes judicii, pietatis eximiæ, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ aſſertor vindexque acerrimus: ut adeò tanti viri auctoritatem in rem præſentem laudatam abs te adire vehementer me delectet.

Theol. Ergò ſepulturas in Eccleſiis quod attinet perſpicua legis honeſtas eſt: ſed de Cœmiteriis non

---

(*) Tom. XIX. Lib. 66. Pag. 173.

(†) Vide *Acta Eccleſiæ Mediolan.* in Indice, verbo: *Sepulchrum.* Item *Mareſchal* Traité *des droits honorifiques des Seigneurs* Chap. 5., nec non *Pratique de piété pour honorer le S. Sacrement*, Pag. 101. & ſeqq.

eſt eadem opinionum uniformitas. Quid, ajunt multi, opus eſt extra oppida eadem amandare? an ſic mortem quoque à civibus arcebimus? Tu modò effer, quæ tua de hac re ſententia ſit.

Med. Ut legis partem priorem, ſic hanc etiam laudo. Sunt in civitatibus, præſertim populoſis, anguſta plerumque pro incolarum numero atque ædibus proximè cincta Cœmeteria, eſtque quotidiana ferè in iis ſepelitio acervatioque cadaverum alio atque alio morbi genere peremtorum. Quid hoc faciat niſi contaminare ſolum, peſtilentem efficere vicinum aërem, afflare morbos omnigenos tranſeuntibus, turbare, incommodare cives adhabitantes? Haud repugnarem equidem, ſi morbi communes ſemper eſſent, quibus occumberetur; at verò modò malignæ regnant febres; nunc graſſatur dyſenteria; aliàs epidemia, aliive nocentiores etiam & communicabiles morbi: tunc autem quantam afferre perniciem nata ſint in mediis locata urbibus, proximèque, ùt ferè fit, ad templum princeps, ad quod ſcilicet undique à civibus concurritur, Cœmeteria æſtimare non difficile eſt. Mihi crede: longe pluribus exitialem afflant auram cadavera mortuorum, quàm vulgò exiſtimetur. Et ut non afflarent: vel fœtor ipſe ac fœtoris opinio ſufficerent mihi ut mortuos civitate pellerem. Morbos multi ægrotationesque contrahunt, non tam à morbis ipſis, quàm ab eorumdem metu atque exiſtimatione. Romani olim hac in re nobis ſapientiores inter cæteras leges duodecim tabulis contentas ſic quoque decreverant: *Hominem*

mortuum in urbe ne ſepelito. Auctor eſt Servius, apud Romanos antiquiſſimis temporibus etiam in civitatibus ſive oppidis ſepeliri conſueviſſe mortuos pro arbitrio : deinde verò Conſule Duillio circiter annum urbis 490. Senatus conſulto peculiari fuiſſe hoc prohibitum, cautumque lege, ut ne quis deinceps in urbe ſepeliretur. Hadrianum, Antoninum Pium, Diocletianum & Maximianum Imperatores eadem ſtatuiſſe legi adhuc nuper apud Pitiſcum. Neque eſt dubium, Chriſtianos olim, ipſos hiſce legibus ſe conformâſſe; indeque reor exorta celeberrima illa apud Romam Cœmeteria, ſeu Catacumbas, quæ cum tempore ad tantam denique capacitatem evaſerant, ut perſecutionibus in Chriſtianos ingruentibus, conventus illic haberentur, ſeu fidelium ad conciones & Sacramenta, ſeu Cleri ad Concilia.

Theol. De Catacumbis curioſa multa tradunt Aringhius & Boſius in *Roma ſubterranea*, nec non Boldettus in *Obſervationibus Cœmeterialibus*, qui & harum rerum icones exhibent. Cæterùm ſi Chriſtiani illi veteres conventus illic tam frequentes habuere, oportet profectò, à cadaveribus illos, aut periculum nullum agnoviſſe, aut certè non curâſſe.

Med. Illi hoc faciebant duntaxat, cùm perſequutionum vi ad id adigerentur, nec alibi locus ſuppeteret tutus, commodusve, conventuum habendorum. Sed & Hebræos extra civitates, homi-

numque ſocietatem, tumulos ſuos habuiſſe, adeo ut à cadaveris cujuſpiam viciniâ atque contactu, immundus quis haberetur, Veteris Novique Inſtrumenti literæ multis in locis prodidêre.

Theol. Habuerunt Judæi, populus ſcilicet rudis atque carnalis, multos id genus ritus alios, ſed quos Novi Fœderis inſtitutor Chriſtus unà cum ipſorum Lege antiquavit.

Med. Non tamen ſinè ratione legalem illam immunditiam conſtituerit Deus: & fortaſſis hâc viâ mortalitatis propagationi obviam iri voluit

Theol. Haud defuerunt Deo in ea re conſtituenda cauſæ aliæ, eædemque graves, & quæ non mores tantùm præſentes, ſed futura quoque reſpicerent. Deinde in regionibus illis calidis plus aliquid periculi eſt pertimeſcendum ab cadaveribus, quàm in noſtris his temperatis, frigidiſve.

Med. Sed in æſtate apud nos quoque ſatis urens eſt ſol. Sed in mentem de Romanis adhuc venit aliquid, quod humandi extra oppida conſuetudinem vetuſtiſſimam eſſe apud exteras quoque nationes etiam atque etiam confirmet. Recordor enim legiſſe aliquando apud Dionyſium Halicarnaſſæum [*] Servium Tullium Romanorum Regem ordine Sextum, extra Urbem poſt fata elatum fuiſſe, ſepultumque: id quod dudum ante ipſum & cum Numa Pompilio, Romuli ſucceſſore eſt factum, quem

(*) Lib. IV.

non in Urbe, ſed in janiculo tumulatum præter Livium, Plutarchum, alioſque teſtatur etiam Plinius, Lib. XIII. 13.

Theol. UT quid probare pergis, quod Literati omnes concederent ultro?

Med. Liquet igitur humandi extra Urbem defunctorum corpora conſuetudinem Urbi penè ipſi fuiſſe coævam, quodque eam aliquoties neglectam apud Romanos Leges deinde reduxerint; adeò quidem ſeverè, ut Hadrianus Imperator ſpeciali Reſcripto pœnam ſtatuerit 40. aureorum, tam in eos qui in Civitate mortuum ſepelirent, quàm in ipſos Magiſtratus, qui id paſſi fuiſſent fieri; eamque pecuniam inferri fiſco voluerit, & locum publicari; ac corpus effoſſum transferri aliò. Et tamen illi mortuorum exuvias aut cremabant igne, aut opobalſamis condiebant, ut infectionis non adeò magnum videri tunc potuerit ſubeſſe periculum.

Theol. Ethnici quoniam de futura vita, corporumque reſuſcitatione nihil ſcirent, non eſt mirum tanto in deſpectu eadem habuiſſe. Nos & Dei creaturam eſſe credimus, & reſurrectura ſperamus aliquandò, nunquàm ampliùs moritura.

Med. Liceat utrumque conjungere; & cum humanorum corporum reverentiâ ſpem reſurrectionis, & cum eorumdem ſequeſtratione evitationem contagii.

Theol. Minimè ibo inficias, tempore morborum contagioſorum periculum ab oppidanis Cœmeteriis, præſertim illis, quæ Eccleſiis proximè ad-

jacent, ſic ut tranſire per eadem oporteat, aliquod eſſe; quapropter tunc quoque non rarò à Magiſtratu ſepulturæ fieri ibi vetantur: ſed dum morbi nulli tales regnant, illud aut nullum eſt, aut mediocre, neque à majoribus noſtris per ſecula plurima curatum.

Med. Si pro regulá tenendus majorum uſus foret per omnia, jam neque ſepulturæ in templis ipſis ad hæc uſque tempora tam communiter fieri ſolitæ prohiberi debuerant, contra tui ipſius propriam ſententiam. Dicamus igitur, piaculum non eſſe habendum, ſi recedamus ab iis quæ proavi noſtri minùs cautè egêre. Anne nepotes progenitorum ſuorum ſervos eſſe oportet, etiam poſtquam hi fatis functi jam ſunt? Quam multa alia non mutantur, aut emendantur, ſeu etiam abjiciuntur omnino ab ſeculi noſtri hominibus, quæ præcedentis ævi mortales, rebantur alia eſſe nec poſſe, nec debere? Ad hæc erraret, qui diceret illos defunctorum corpora ſinè ullo diſcrimine in oppidanis communibusque ſepulchretis condere conſueviſſe. Liquet enim ex ſuperiorum temporum hiſtoria, nec non ad hanc uſque diem extantibus veteribus ædificiis ac monimentis, leproſos aliosque id genus contaminatiſſimos homines, lue exitiali, atque ad alios facili negotio ſerpente morbo affectos, vivos ſeparatam habitationem, mortuos diverſam ſepulturam habuiſſe ab aliis! Nunc autem eò ventum poſtremò fuerat, ut mortuos quoslibet, quacunque demum infirmitate interiiſſent paſſim, nulloq. delec-

tu, in Cœmeteria communia inferrent, aut in ipſis etiam templis, ad quæ nimirum à fidelibus precationis inſtructionisque gratia omni tempore concurritur, disjuncto turpiter pavimento deindeque vix reducto, terræ mandarent. Nonne accidit poſtremis hiſce annis, quum dyſenteria dirè adeò graſſaretur, abriperetque tam multos, ut aliis quidem vix terrâ feſtinanter conditis, eodem ipſo loco poſt paucos deinde dies rurſum ſepelirentur alii, cadaveraque adeò acervarentur cadaveribus, ſex ſæpe ſeptemve in eodem tumulo? Quare, ut obviam eatur communi perniciei in eventus omnes, conſultiſſimum, meo quidem judicio, fuit, quod & decretum eſt, Cœmeteria eſſe, non in urbium meditullio, neque proximè ad ædes in eis ſacras, ſed extra oppida, patente loco, aëre libero. Atque hæc, Valentine, mea opinio eſt, prolata candidè, ùt poſtulâſti.

Theol. Vos Medici ubique morbos ſuſpicamini, eorumdemque pericula: quippe veſtrà intereſt morborum opiniones augere.

Med. Non hæ morborum meræ opiniones ſunt, aut vanus timor, ſed vera pericula. Et quid à Cœmeteriorum mutatione nobis adveniat utilitatis? hoc præſidio non augebuntur, ſed minuentur infirmitates.

Theol. Hæc ſi ita ſe habent, cur non æquè in pagis vicisque disjungantur ab templis ſocietateque hominum Cœmeteria, quàm in civitatibus? Preſertim cùm in iſtis hæc non contigua duntaxat eſſe ſoleant ſacris ædibus, ſed eas quoque omninò cingere. An fortè ruſticani hominis vita minoris

haberi debeat, quàm oppidani? Mihi utriusque æquè pretioſa eſt.

Med. Næ! tu nimiùm quàm cæſim disputas, punctimque: ſed tu viciſſim condonare aſſoles ſiquid mihi excidit paullò ſalſiùs.

Theol. Amicorum ſermo, ingenuus ſcilicet ac familiaris, hos ſales patitur; qui plerumque ab opinionum diverſitate procedunt. Verùm tuum eſt modò, diſcriminis inter oppida pagoſque hac in re facti rationem proferre.

Med. In pagis, mi Valentine, non tantum ab Cœmeteriis periculum eſt, quoniam aperta ibi plerumque ſunt amplèque patentia, neque adeò viciniis ædibus cincta atque concluſa. Deinde neque in pagis tam numeroſus eſſe populus ſolet, ùt in urbibus, in quibus una ſæpè Parochia octies mille animas complectitur. Verumtamen & paganis ipſis communitatibus auctor eſſem ego, ut dum contagioſi regnant morbi, Cœmeteria ſua non nimiùm oppleant extinctorum hominum corporibus, ſed eos qui ex illis occubuerint, ſepeliant ſeparatim, in loco ab hominum frequentia nonnihil remoto, inque aliis atque aliis foſſis, non iiſdem, neque adeò ad invicem propinquis, ut eædem ſint habendæ. Quando & hoc magno ſtudio erit ab illis obſervandum, ut foſſæ profundæ ſint, multâque humo injectâ cadavera operiantur.

Theol. Tu Imperatorium Decretum non probas

modò, ſed etiam extenderes, ſi poſſes. Ita ferè fit, quod alii rejiciunt, alii laudant tenentque, quod hi nefas ducunt noxiumve, illis bonum videtur ac Reipublicæ maximè profuturum.

Med. Credendum unicuique in ſua arte.

Theol. Ergò quoniam hujuſmodi hæc quæſtio eſt, quam dirimere Medicorum potiùs, quam Theologorum ſit, credam denique tibi, ac tuæ ſententiæ accedam ùtùt minimè lubenter.

Med. Exiſtimandus profectò Princeps eſt eam Cœmeteriorum commutationem non ſinè magna ratione præcepiſſe atque conſilio, quam ſciret futuram civibus pergravem, neque faciendam ſinè maximis ſumptibus.

Theol. Unum adhuc in memoriam jam nunc venit, quod faciat ad ea, quæ diximus aliquantò ſuperius de Chriſtianis, quòd antiquis ævis in Eccleſiis neminem ſepelirent, quod generalem nimis, hanc noſtram pronuntiationem quadantenus corrigat.

Med. Dum de antiquis rebus, atque à noſtro ævo nimiùm quàm remotis diverſiſque ſermo habetur ſinè libris, quos liceat inſpicere, facilis, ædepol! ac proniſſimus lapſus eſt.

Theol. Duas nempe Diſſertationes olim à me recordor lectas, quas ſcripſit, hoc adhuc ævo necdum valde maturo, Doctiſſimus Vir Lud. Ant. Muratorius: alteram ad Clariſſimum Ciampinum, ad

Juſtum Fontaninum alteram, utramque *de antiquis Chriſtianorum ſepulchris;* in quibus multa eruditione multisque Veterum teſtimoniis, Paulini, Auguſtini, Maximi Taurinenſis, Ambroſii, Anaſtaſii Bibliothecarii, Hincmari, Gregorii Nazianzeni, Hilarii, Gregorii Magni, Ephremi, aliorumque, oſtendere conatur, atque oſtendit reipsà, etiam antiquis illis ævis, ſaltem poſt Imperium Conſtantini, ſepulta fuiſſe non rarò fidelium corpora in templis, non ſolùm Epiſcoporum ac Sacerdotum, ſed etiam hominum laïcorum: licèt nobiſcum hoc inſuetius tunc fuiſſe fateatur, ultròque addat, ſe illum non eſſe, qui tot tumulos in domo Dei commendat, quot modò in illa fiunt, ut non templa, ſed Cœmeteria ingredi nonnumquam videamur: ſe non continuò rem ipſam impròbare, ſed modum in eadem optare conſtitui. Quibus paria ferè tradidit eruditus Scriptor Henricus Spondanus in præclaro Opere *De Cœmeteriis Sacris.*

Med. Modum in ea re præſcribere ac tenere difficillimum fuiſſet: expeditius erat amputare abuſum lege generali, atque uno velùt ictu, poſt quem cavillationi, ſuperſtitioni, ambitionique nullus foret locus reliquus: quod & factum.

Theol. Sic videlicet ego ſanarem ægrotum, caput illi amputans à cervice, nunquam poſteà doliturum.

Med. Quid mortuis Cœmeteriisque cum joco? Linquamus iſta: ſat diu in his morati ſumus. Loquamur jucundiora.

Theol. Hoc ego dico, plus curari de corporibus, quàm de moribus.

Med. Verum forſitan hoc ſit, ac plus quàm verum nulloque non ævo de hac re conqueſtum eſt. Attamen quorſum impræſentiarum hoc addas non intelligo. Tu te explica.

Theol. De *Liberis* quos vocant, *Muratoribus* incidit cogitatio, quos ubique damnatos, exoſosque, aut ſaltem de tenebricoſis, neſcio quibus, conſiliis factisque vehementiſſimè ſuſpectos, atque ab ſummis Pontificibus devotos anathemati, ac ſpeciali Bullâ excommunicatos & tolerare, & lege publica protegere nuper viſus eſt Imperator.

Med. Noviſti, quid rei agitent inter ſe illi homines?

Theol. Minimè verò: ac ſemetipſum non ſcire palam in Edicto ſuo agnovit Princeps. Et quis ſcire poſſit, cùm habeant inter myſteria ſua atque arcana illi hoc maximè Sacrum, ut nemo unus, qui ſuæ ſocietatis non ſit, de inſtitutis ſuis aliquid unquam cognoſcat. Conventus habent ſtatos, ac ferè veſpertinos aut nocturnos, ad quos nullus admittitur, niſi qui ſectæ occultis rationibus fuerit initiatus. Fiunt autem, ùt ferunt, hæc tam clanculùm, ut ſæpe hoſpites ipſi, in quorum ædibus conventicula habentur, hoc ipſum ignorent.

Med. Non ergò aſſeri certò poteſt, mali quidpiam ibi factitari. Immò illorum hæc ſocietas in id fortè unum collimat, ùt fratres ſuccurrant fratri-

bus, exerceaturque inter eos mutua humanitas: nam, aïunt ſingulos eorum, dum in collegium primò admittuntur, hoc ſe fideliter facturos promittere ſub religione juramenti.

Theol. Si tam pia aut certè non mala eorum inſtitutio eſt, cur tam ſolerter ſua omnia celant? *Honeſta ſemper publico gaudent, ſcelera ſecreta ſunt*, inquit apud Minucium Felicem Cæcilius. Et Salvator in Evangelio. (*) *Qui malè agit*, inquit, *odit lucem & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Suſpicionem auget quod diſcrimen illi nullum dicuntur facere cujusnam religionis aliquis ſit, modò inſtituti ſui regulas admittat, ſervaturumque polliceatur ſanctè, etiam priusquam eaſdem noverit. Qua ex re ſatis liquere arbitror, religionem ab illis hominibus inſuper haberi, periculumque eſſe manifeſtum, immò certiſſimum ne rectæ fidei homines avitum cultum ſpernere paulatim diſcant ac denique à ſociis parum religioſis impiiſque corrupti abjiciant penitùs, ſaltem ab animo: quod quantam perniciem Religioni, immo Reïpublicæ ipſi, Statuique politico, allaturum denique ſit, non eſt difficile æſtimare. Quid verò de jurejurando dicemus, quo ſe omnes, ſingulique, ùt certiſſima fama fert, ſervando inviolabiliter arcano adſtringunt? Quaſi liceat alicui cujuslibet promiſſionis aut Sacramenti, id eſt, juramenti obtentu ſe tueri, quominùs à legitima poteſtate interrogatus

(*) Joan. 3. ℣ 20.

fateri omnino debeat, quæcunque exquiruntur ab ipſo, ad dignoſcendum an non aliquid in conventibus fiat, quod ſit contra Religionis aut Reipublicæ ſtatum ac leges. Itane ludere juramentis licebit, ut privata quælibet ſocietas eadem liberè ritèque exigat? Jam ſi vera ſunt quæ leguntur in Libello, Gallico idiomate typis evulgato anno 1744, cui titulus eſt; *Le Secret des Francs-Maçons*, non illegitima duntaxat ac temeraria, ſed ridicula quoque, abſurda atque impia dicenda erit illorum aſſociatio. Quid ſi ad eum præcipuè finem ſpectet, ut Religionis cujuslibet indifferentiam invehat atque deſpectum?

Med. Si tanta apud illos regnaret impietas, nunquam fuiſſet eorum ſocietatem toleraturus, & quidem lege publica, Princeps. Verumtamen quoniam inſtituti ſui rationes ſtudiosè obtegunt, hinc eſt, quod tam multi malè de illis ſiniſtrèque ſuſpicentur; fortè ſinè cauſa: nam & apud Chriſtianos ipſos veteres, quod non ignoras, tempore præſertim trium priorum ſeculorum, *diſciplina* viguit *arcani*, ob quam rationem tam apud infideles pleroſque peſſimè audierunt, accuſatique fuerunt, tanquam qui infanda quælibet ac nefanda perpetrarent inter ſeſe, nulloque non ſpurcitiarum genere mutuò commacularent: quæ tamen pura fuit calumnia, ac falſiſſima accuſatio.

Theol. Viguit apud Chriſtianos veteres *diſciplina arcani*; ſed, ne mitterentur margaritæ ante por-

cos, ùt monuit Salvator, neve profanarentur ſacra religionis myſteria, exponerenturve impiorum deriſui. Non reor autem *Liberos Muratores* nova de cœlo dogmata accepiſſe, quæ timeant profanari. An tu ex eorum numero fortaſſis es, quòd eorum cauſam tam ſtudioſe agis.

Med. Ego *liber Murator*? Ridiculum!

Theol. Sic pugnas pro iiſdem, acſi ex illis unus fores. Tametſi te nihil minùs eſſe, quàm *Muratorem*, judicavi ſemper.

Med. Nequaquàm *Murator* ſum, neque ut fierem vel cogitavi ſemel: quid enim Medico, eidemque aſſiduo diſcurſatori ac ſemper negotioſo qualis ſum ego, cum tam otioſis conventibus? Quomodòcunque autem illi habeant ſeſe, non poſſum facilè in animum inducere, inſtitutum tam per totam latè Europam, inque præcipuis civitatibus vigens, immò in Aſiam ipſam, Americamque ſe extendens, tam impium eſſe; ac certiſſimum habeo, quæ in libello mox abs te laudato de Muratoribus narrantur, puras putas, ridendasque, fabulas eſſe.

Theol. Sed nec ego fidem per omnia huic libro adhibeo. Hoc ſolum volo ſignificare, pernicioſam, periculoſam minimùm atque ancipitem ſocietatem eſſe debere, quæ poſt tanti temporis inveſtigationem in tanto ſæculi lumine apud omnes tam malè audiat. In pleriſque regnis leges publicæ adversùs hanc gentem conſcriptæ ſunt, non ab Eccleſiaſtica tantùm poteſtate, verùm etiam politica. Legiſti

procul dubiò in libellis ephemeridialibus, quid acciderit pridem *Muratoribus* Neapoli, Venetiis, Lovanii: ubique ridiculi, ſuſpectique cùm habeantur, nullibi illis ſatis fiditur.

Med. Legi illa omnia, & riſi Lovanienſis Academiæ illam juventutem levem atque vanam; ùtùt Æſculapii Themidiſque ſtudioſam, quæ & ipſa Muratoria eſſe decreverat, ſuosque conventus in eam rem fuerat habitura, ſi non Magiſtratus temerariis coitionibus iviſſet obviam oportunè, atque efficaciter. At verò diſcrimen facere oportet inter juvenes adhucdum ſub diſciplina magiſtrorum degentes in ſcholis, ac viros jam maturos: illos juvat, totos incumbere ſtudiis literarum, bonarumque artium; hos par eſt libertate uti pro ætate majori: illi ad levitatem quamlibet ſponte proni ſunt ac lubrici, his ab annis ipſis gravitas acceſſit. Quapropter *Muratores* non facilè in album ſuum recipiunt imbarbes utpote loquaculos, leves, garrulos, & quos timeant ſua ſecreta aliquando propalaturos.

Theol. Juventus ſecreti vix capax eſt: ſed tamen & ſenectus loquaces homines facit; & ſenes nihilominus decrepitosque *Muratores* ſic mutus obſidet dæmon ut nunquam aliquid de priſtinis nugis aperiant. Mihi *Muratores* omnes exoſi ſunt, ſive juvenes illi fuerint, ſive cani. Habeo eoſdem pro certiſſimis peccatoribus, quos fugere oporteat.

Med. Neſcio, quâ de causâ. Certè Politica poteſtas apud nos iis non obſiſtit, tanquam ſi homi-

nes eſſent nequam; ſed ad certum duntaxat modum redegit, compulitque intra cancellos. Cæterùm conventus ſuos habere permittuntur, quandòcunque voluerint.

Theol. Permittuntur habere impunè, ſed non ideò licitè ſanè ſex in Theologia Doctores Sorbonici de hac re olim conſulti judicârunt hujuſmodi homines omnes, quamdiu tales eſſe perſiſterent, peccare graviter, indignoſque eſſe, quibus Sanctiſſima noſtræ religionis Sacramenta adminiſtrentur. Exſtat eorum hæc conſultatio ampla ac erudita in Appendice ad Colleti Dictionarium Caſuum Conſcientiæ, editionis in-4to anni 1764. tomo 2do.

Med. At hi judicârunt ex hypotheſi, ùt loquimur, præſtituentes omninò ſibi ac præſupponentes civilem poteſtatem illorum aſſociationibus ſeriò repugnare. Nunc verò Princeps ſub certis cautionibus conſenſit.

Theol. Ignoravit, opinor, quod tu quoque videris neſcire; hos homines omnes, quicunque demùm illi ſint, ſeu Laïci, ſeu Clerici; ſive plebeii, ſive nobiles; Excommunicationis majoris ſententiâ fuiſſe percuſſos, tum à Clemente XII., tum à Benedicto XIV., Romanis Pontificibus, eademque ipſo facto incurrendâ, non à ſociis duntaxat ipſis *Muratoribus*, ſed ab aliis quoque omnibus, quotquot in ædibus ſuis eos vel alibi receptare, atque occultare, ſeu conſilium, auxilium, favorem ſuum illis quomodòcunque commodare præſumpſerint, à qua inſuper cenſura nemo, præterquam à Romano Pontifice, niſi in articulo mortis conſtitutus, abſo-

lutionis beneficium valeat obtinere. Utramque rursùs hanc pontificiam legem invenire eſt in Appendice mox dicta: nec non in *Bullario*, ùt vocant, utriuſque Pontificis. Et quidem poſtremi illius ſententia tantò magìs veneranda eſt, tantòque certior meretur haberi, quantò vir fuit non in Eccleſiaſticis modò diſciplinis litteriſque probè verſatus, verùm etiam profanis politicisque optimè excultus: Vir, utì pietatis eximiæ, zelique verè Apoſtolici, ita excellentis doctrinæ, animique ingenui, ac ſuper omnia multæ diuturnæque experientiæ; tantæque apud nationes omnes, etiam exteras, Acatholicasque exiſtimationis, ut repertus fuerit vel inter Anglos ipſos, ab religione noſtra alieniſſimos, homo minimè vulgaris, qui ſtatuam illi erigeret; ùt legere eſt apud Carracciolum in ejus Pontificis vita; hos ergò homines, ſuſpectos ubique ac legibus publicis proſcriptos, de quibus minimè conſtet quid in ſecreto moliantur, qui religionis diſcrimen nullum faciant, qui ejus ruinam interitumque fortaſſis cogitent, quos indignos eſſe Sacramentorum participatione celeberrimi Theologi pronuntiârint, quos denique Summi ipſi Eccleſiæ Præſules ferierint anathemate, hos, inquam, homines ultrò foveat, protegat, atque defendat Princeps religionis tutor ac vindex; & quidem lata, quod hucuſque inauditum fuit, lege? ſi tamen Principi tribuere legem oporteat, quam forſitan uni Conſiliarii ejus, *Muratores* fortè ipſi, in rem ſuam ſuggeſſère.

Med. Bene facis, quod dum legem vituperas,

Legiſlatorem ſaltem ipſum abſolvis, atque excuſas, culpâ omni, ſi qua eſt, in alios rejectâ.

Theol. Ita agere ſemper ſoleo, atque, ut ita me geram, ſuadet, docetque illa, quâ ergà Principem unusquiſque tenetur, reverentia.

Med. Ego verò ne legem quidem ipſam vitio aliqua ex parte laborare autumo : quin potiùs ſummè fore utilem, atque extirpandæ ſenſim, minuendæve minimùm, Sectæ peroportunam ac conducibilem.

Theol. Quî hoc? Mira profers, & quæ necdum aſſequar. Ego fovendæ potiùs ac nutriendæ ſervituram illam exiſtimarem, & uſque exiſtimo. Cedo, daque lumen è tua lucerna homini myopi, ac non perinde ac tu acutùm videnti.

Med. Tu mihi aures vellicas plùs quàm utrâque manu, dum me rides tanta cum acrimonia. Tu myops, ego Lynx! Diſpeream niſi mentiris, ac mihi illudis!

Theol. Cave dejerare inter *Muratorias* nugationes.

Med. Ceterùm utcunque breve meum lumen eſt, ac penè nullum, hoc ſaltem video, aut videre mihi videor : quam tulit nuper de *Muratoribus* legem Imperator, non tam eorum rebus profuturam, quàm nocituram.

Theol. Explica uberiùs, ut ego quoque hoc videam.

Med. Non ignoras procul dubiò, quibus condi-

tionibus hos homines, eorumque inſtitutum atque conventus ſe laturum Princeps edixerit. Et quidem prior cautela eſt, ut nonniſi in civitatibus majoribus ſocietates hujuſmodi ſint, conventuſque fiant, ac ne in illis quidem Collegia ſua multiplicent. Deinde ut quotieſcunque conventuri ſint, Principi ſeu Magiſtratui ritè hoc indicent; coïtionis locum ſignificent; nomina quoque aperiant illorum, qui Conciliabulo ſint præfuturi, & alia id genus multa: quæ quoniam gravia illis accident, incommoda, ingrata, atque inviſa, immò in omnem eventum non admodùm tuta, plerique ab illis ſeceſſionem facient, non ſuſtinentes agnoſci: id quod certò certiùs illorum numerum imminuet hiſce in Provinciis aut fortaſſis ceſſare conciliabula eorum faciet, diſſipabitque penitùs. Ac reverà jam inde imminutos apud nos eſſe magnoperè, & porrò adhuc minui indies, didicimus certiſſimis nuntiis. [*] Quid ſi deinceps in Bruxella ſola, totius nimirùm Auſtriaci Belgii Capite, Muratoribus noſtratibus conventus habere liceat? Quomodò multi Edictum Principis intelligunt, & jam declaratum ab hoc eſſe ſpeciali Reſcripto, audivi nudiuſtertius. Ut adeò hanc legem ego habeam Muratorum in hiſce oris deſtructricem potiùs, quam fotricem: nec dubitem, hanc Principi mentem fuiſſe, cùm legem eam condidit, juſſitque

(*) „ Du reſte cette aſſociation s'affoiblit tous les „ jours depuis le nouvel édit & le nombre de ces frè„ res factices diminue à vue d'œil." Journal de Luxemb. 1786. 1 Avril pp. 535. & 536.

ut ſinguli quotquot Societati illi è ſuis ſubditis nomen daturi eſſent, illud apud ſe profiterentur : aut ſaltem cavere voluiſſe, ut ne aliquid valerent in religionem aut rempublicam clancularii machinamentis : ſi in vices ſingulas, quando conventuri eſſent, tempus locumque habendi cœtus tenerentur Magiſtratui politico deſignare.

Theol. Vereor, ut obtemperent; nam dudùm ſpernere leges quaſcunque didicêre. Sed fac obtemperent, numquid excommunicatos homines præſtabat diſſipare exterminareque penitùs, quam qualibuſcunque conditionibus tolerare aut tueri? Atqui audiſti è veſtigio, ab Clemente XII. & Benedicto Magno fuiſſe devotos anathemati. . . . . .

Med. Jam dixi ſuperiùs, cenſuras illas fuiſſe ab utroque illo Pontifice latas, quòd ſupponerent, Muratorum aſſociationem eſſe inhibitam à Poteſtate ſeculari; [*] utì reverà proſcriptam eſſe in variis Chriſtiani Orbis Provinciis conſtat. Princeps autem noſter hos homines in ſuis ditionibus ferendos cen-

(*) „ Memoratæ Societates per ſeculi poteſtates, „ tamquam regnorum ſecuritati adverſantes, proſ„ criptæ ac providè eliminatæ jam pridem extite„ rint " . . . . . . „ Ea tum Civilibus tum Canoni„ cis minimè cohærere Sanctionibus. „ Clemens XII apud Collet ubi ſupra pag. 1384. Edit. Paris. 1764. Item Benedictus XIV. Ibidem pag. ſeq. „ Quarta „ (cauſa, inquit) eſt, quod hujuſmodi ſocietates „ non minùs Civilibus, quam Canonicis Sanctioni„ bus adverſari dignoſcuntur; " &c.

ſuit,

ſuit, quanquàm non ſinè certis conditionibus, iiſdemque, ùt vidimus, perquàm moleſtis, ac ſocietati eorum allaturis maximum vulnus ac detrimentum, ſi non interitum. Ad hæc probè nôſti Pontificias Leges, ſeu Bullas, præſertim eas, quæ temporalem politiam quomodòcunque, aut etiam Diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant, multòque magìs eas, quæ graves cenſuras adnexas ſibi habent, in hiſce regionibus non ligare, niſi ritè promulgatæ fuerint, ab Epiſcopis rati habitæ, placetatæque, ùt vulgò loquimur, à Senatu Principis; quemadmodum copiosè demonſtrârunt maximi Auctores Eſpenius, Stockmannusque; docentque alii multi poſt ipſos, atque ipſe præcipuè uſus ac conſuetudo Patriæ, quam & multi è noſtris inter Libertates Eccleſiæ Belgicæ non poſtremam jure merito cenſent.

Theol. Nunquam, quod aſſeris, tam generaliter Stockmannus docuit, quanquàm neque ipſe illorum Virorum Doctrinam hac in re per omnia rejicio.

Med. Antoninus de Luca, Govartiusque ſuis ſcriptis eam impetivêre quidem, ſed irrito hucuſque conatu; ac poſtremus ille profectò, quantùm ex ejus lucubratiunculis literariis poſſum intelligere, tantæ molis certamini, quà eruditione, quà ſtylo, quà judicio, impar erat penitùs: nanus ſcilicet adversùs Gigantes.

Theol. Govartii ſtylus perinde ùt homo ipſe fuit, loquaculus eſt, audax, turbulentus ſinè ordine, ſinè methodo; plus verbórum habens, quàm materiæ; plus corticis, quàm nuclei. De-Luca judi-

cioſior eſt, elegantiorque; quanquàm nec ſuis ipſe nævis omninò liber eſt; quippe qui dum adverſarios urget immodicè, in extremum oppoſitum incurrit; ſed de his Viris, deque hac re quid jam diſputamus? Redeamus ad Muratores.

Med. Quomodòcunque illa ſe habeant, hoc conſtat, utrumque illud Pontificium Diploma hic gentium nunquam fuiſſe publicatum ritè propoſitumque; quod fieri tamen debuerat, ut ligaret.

Theol. Quid tum? vel ſola de Muratoribus mala fama ſufficere debuerat, ut fugarentur, neque admitterentur ullo modo. Dum naves exoticæ appellunt ad littus ſeu portum, non admittuntur, niſi homines illi novi multorum dierum de certa incolumitate argumentum præbuerint; ne ſi in fora ſe ingerant ocyùs temerèque unà cum mercibus, ſeque adeò ipſis peſtem fortaſſis inferant, ſcabiemve. Nunc autem de noſtris illis hominibus, quos Muratores liberos vocamus, minimè conſtat, quales ſint, futuri ſcilicet fortaſſis aliquando non Reipublicæ minùs ac ſtatui politico, quàm Religioni pernicioſi.

Med. Sat perſpicax Princeps noſter eſt, ac providus, ut hujuſce rei nullus ſit timor. Si horum hominum Sodalitium tolerat, non eſt cenſendus hoc facere ſinè cauſa. Sunt in eodem tot Viri inſignes nobileſque, ut è re fortaſſis non fuerit illos percutere graviore ictu, aut traducere de ridiculo. Modò procedent omnia ſuaviùs atque decentiùs; parcitumque eorum ſocietati tali ratione eſt atque cautela, ut neque nocere poſſint, neque immodicè

accreſſere. Ajunt de illis, quòd humanitatem profiteantur inprimis, ac mutuum in neceſſitate egeſtateque auxilium. Hoc ſi ità eſt, non deërit quoque Reipublicæ ab ipſis aliqua utilitas. Ut verò eam Principis moderationem, gratiamque, erga ſocietatem hominum hucuſque nobis necdum ſatis cognitam, neque malam eſſe, neque inutilem omninò perſuadear illud eſt: quòd cùm nuper publicandum de Muratoribus Edictum Imperatoris miſſum eſt ad Paſtorem quempiam, ùt miſſum fuerat ceteris, illeque præ mentis anxietate & conſcientiæ teneritudine ſe hoc facere non poſſe declararet, Eminentiſſimus Cardinalis, Mechlinienſium Archiepiſcopus ab eodem conſultus de ea re ſecurum eſſe juſſerit, ſuaſeritque ac perſuaſerit, ut faceret ſinè hæſitatione, addens, Edictum datum fuiſſe à Principe, non ut faveretur Muratoribus, ſed ut continerentur in officio: non ut eorum aſſociatio comprobetur, ſed ut enervetur, comprimatur, necubi abire valeat in licentiam. Quo Præſulis monito inſtructus Parochus inquietudinem poſuit, publicavitque diploma extemplò.

Theol. Ignoravi hactenus, quod narras; ac ſi hæc ità ſe habent, ùt dicis, conqueri & ipſe deſinam de Decreto, cujus mentem finemque ſecretum non fueram hucuſque aſſecutus.

Med. Equidem Murator fui numquam, ſed nec ero deinceps. Eorum inſtitutum neque laudo, neque vitupero, ùtpote penitùs mihi incognitum. Tametſi fateor, non omni apud me ſuſpicione va-

E 2

care. Quæ protuli, ideò adduxi in medium, quòd me urgeres, utque legem Principis quadantenùs defenderem, oſtenderemque æquiorem forſan eſſe, conducibilioremque, quàm multis intuitu primo appareat. Certè Muratores nihil minùs quàm ſibi gratulantur de eadem, maluntque plurimi à Sodalitio recedere, quàm ſe tales eſſe apud Principem, Magiſtratumve profiteri.

Theol. Quoniam de publicandis per animarum Curatores Divinorum tempore Officiorum politicis Edictis ſermo incidit, non poſſum diſſimulare, quin dicam, videri hoc nimium profanum quàm ut fiat eo tempore ac loco, atque à miniſtris Verbi Dei ac religionis, quibus una Dei Eccleſia cultuſque curæ eſſe debeant, quoſque adeò dedeceat applicari negotiis ſecularibus. Eſt hoc, aut videri ſaltem ſic poſſit, quod vulgò dicitur in proverbio: *Miſcêre ſacra profanis.*

Med. Habet in ea re Princeps finem magnum, ùt audivi, ac valde gravem.

Theol. Quem obſecro?

Med. Ut ſuæ leges hâc viâ tantò promptiùs certiùſque ad notitiam populi perveniant: dum non ſub dio tantùm aut in foro, ubi ob auram adverſam, incommodamque, homines ſæpe conſiſtere non amant, ſed etiam in loco ab aëris injuriis tuto, immò ſacro, ubi incolarum pars major adeſſe conſuevit, proponentur prælegenturque, & quidem à Paſtoribus, quibus præ ſecularibus adminiſtris

præſertim paganis, intelligentiæ plus, clarioriſque enuntiationis inſit. Sunt Leges res quædam, quas non ignorare omnium interſit; maximè ſi novæ ſunt: jam verò non ruri tantùm, ſed in Civitatibus quoquè promulgabantur vulgò ferè inintelligibiliter, patente aëre, fabulante tranſeunteque populo, & nihil ejus curante, aut auſcultante.

Theol. Credo & aliam ſubeſſe rationem, eamque præcipuam, cur Imperator Clero hoc præceperit.

Med. Quæ illa?

Theol. Deſtinabat jam dudùm animo Imperator, inter ceteras leges ſuas condere quaſdam, quas prævidebat facilè fore Clero non admodùm acceptas: quales & multæ his diebus emanârunt, emanaturæque ſunt, ſi aptus divinator ſum, adhuc. Ut itaque illæ vim omnem ſuam obtinerent, nec rejicerentur cum tempore ab Eccleſiaſticis hominibus, neve non admitterentur: hanc viam iniit ſeu potiùs ſuggeſſère ei ejus miniſtri, ut illarum publicationem ipſis-met injungeret, vimque adeò adderent ac auctoritatem ingratis ſibi decretis ipſi, qui alioquin eadem aut habuiſſent inſuper, aut non curâſſent multùm, vel etiam ſpreviſſent, ùt factum non ſemel.

Med. Vah! tu acutiſſimus ſpeculator es; nec inveriſimilis tamen planè tua hæc conjectura eſt.

Theol. Ego non veriſimilem, ſed certam habeo.

Med. Quod profana hujuſmodi Edicta publicentur in templis tam magnum piaculum non æſtimo.

E 3

Paſtorum vel imprimis eſt commendare ſubditis obedientiam reverentiamque erga leges principum, eoſdemque ſi officio deſint, redarguere. Leges res quædam ſacræ ſunt ac ſanctæ, à quarum obſervatione reverentiaque ſalus publica pendeat : eas proinde aptè oportunèque Curatores animarum ſuis quiſque ſubditis exponant, prælegant, explicent, commendent, hortenturque ſervare. Tali oculo, hacque ex parte, ſi rem hanc ùt oportet, conſideres, non erit publicatio hujuſmodi à paſtoribus etiam facienda, habenda profana ſed ſancta, ſed pia, ſed utilis; res inquam, quæ mentes ipſas afficiat, atque ad virtutis obedientiæque normam componat.

Theol. Sed gratis jubentur hæc facere, & impediuntur prælectione hujuſmodi Officia divina.

Med. Modò murmurat Clerus, quia gratis jubetur hoc facere, non murmuraturus forſan, ſi ad ſingulam recitationem acciperet pingue ſalarium. Nam & anteà Paſtores multi proximè antè vel poſt habitam concionem, aut ſaltem ſub initium finemve Divinorum Officiorum, modica retributione acceptâ paucorum ſæpe aſſium, annuntiabant non ingratiis, aſpergillum luſtrale non raro manibus etiam tenentes, in media ſacra æde ſeu ante gradus ſanctuarii, quæ in vicinis locis habendæ eſſent publicæ venditiones arborum, lignorum, animalium, fœni, aut locationes agrorum, pratorum, vinearum, decimarum, &c. quod audivi, vidique fieri ipſe centies. Atqui tamen hæc profaniſſima

ſunt ſi quod aliud (*). Nec omittebant ſatellites, præconeſque ac tabellarii publici hanc ob rem adverſus paſtores pleroſque murmurare, quod quæ ſui non eſſent officii atque decoris abs ſe uſurparent, ſuo damno atque jacturâ.

Theol. Quicumque hoc fecêre aut faciunt, ſuam ipſi cupiditatem avaritiamque hac ratione vel maximè prodiderunt. Neque oportet probare quæcunque Paſtores faciunt. Verumtamen reor paucos eſſe aut fortè nullos in Belgio noſtro Auſtriaco, qui id factitent: eſt enim illis pro honeſta ſuſtentatione plerumque ſatis proviſum. Si faciunt Leodienſes, non mirabimur: nam apud eam gentem, quod dolendum eſt magnopere, tam arcti pleriſque Paſtoribus & anguſti reditus ſunt, ut ſi alere ſe ſuoſque hoſpites honeſtè velint, aut villicos, aut mercatores eſſe oporteat: ut non ſit mirum ſi lucelli qualemcumque occaſionem lubenter arripiant.

Med. Illorum ſortem multùm doleo. Ibi gentium Monaſteria, Canonicorumque Collegia Dominique ipſi temporales multis in locis abſorbuerunt omnia, parochis tantùm non mendicare coac-

(*) „ Proclamationes forenſes & denuntiationes „ quarumcumque venditionum ſeu rerum venalium, „ ſeu citationes, & monitiones ad ſolvendum debi- „ ta, vel ſimiles actus judiciales, nequaquam dein- „ ceps permittantur fieri in templis, quæ ſunt do- „ mus orationis, ſed extra templa in locis profanis „ ac Officiis Divinis jam peractis. “ Synod. Ruræmund. ſub Andr. Creuſenio, A°. 1652. Num. 27.

tis. Habent noſtri, unde ſibi gratulentur, quod pinguem ſatis & amplam pro munere retributionem obtineant beneficio legum favoreque Principis, qui ferret gravatè, ſi Curatores animarum carerent ſubſidio corporum, neceſſario atque honeſto.

Theol. Hac quidem ex parte ſat benè proviſum eſt Clero noſtro, & ſiquidem ex ipſo fortaſſis aliqui adhuc egeant, reor, providebitur intra breve tempus; laudanduſque plurimùm Princeps noſter eſt, quod in hanc rem tam ſit ſollicitus.

Med. Laxatæ apud Leodienſes Eccleſiaſticæ diſciplinæ non minima cauſa eſt Parochorum egeſtas, Canonicorum opulentia ac multitudo : anne Paſtores multi tam liberales eſſent concedendis *rubris* ùt vocant, *ſigillis* procurandâque Bannorum matrimonialium diſpenſatione, ſi, egeni cùm ſint, non ibi invenirent qualecumque ſuum compendium? & alia hujuſmodi multa.

Theol. Eſpenio inprimis acceptum eſt ferendum, quod animarum Curatoribus multis apud nos melius eſſe cœperit hoc ſeculo ineunte faveaturque illis adhuc magis ac magis indies : ille Diſſertatione non una ejus rei æquitatem palàm fecit omnibus, tamque manifeſtam, ut jam Senatus Supremus in id genus controverſiis ejus doctrinam pro regula ferè teneat, ad quam ſua judicia ſententiaſque conformet. Sed ut ad Edictorum à Clero faciendam in Eccleſiis promulgationem redeamus; quid facient; ſi quando publicandam à Principe legem accipient, quæ vel pugnet cum religione

aut ejus conſueta probataque diſciplina, aut quæ Eccleſiaſticorum hominum jura ac privilegia, vel etiam patriæ conſuetudines avitas atque à Principe juratas ſolemniter, ſubvertat aut lædat? Promulgare recuſabunt? Non facient impunè. Promulgabunt? peccabunt in Deum, in religionem, in patriam, in Eccleſiam, in ſuum ordinem, in conſcientiam. Vide in quas aliquando anguſtias ſit conjiciendus ex una hac lege Clerus.

Med. Abſit, ut ſtatuat aliquid Princeps, quod in religionem Remve publicam foret injurium. Si tamen, quod Deus avertat! legem crearet, juberetque à Clero promulgari apertè malam atque injuſtam, cenſendus eſſet hoc feciſſe ex errore, miniſtrorumque conſilio pravo: repræſentandumque adeò hoc eſſet illi humiliter ac tamen liberè & fortiter, oſtendendaque ei ab ſubditis ſeu Patriæ Patribus Epiſcopiſque ſua aberratio: nec omitteret, credo, ùt Princeps eſt æquitatis amantiſſimus, temerè conceptam propoſitamque Conſtitutionem, meliora edoctus, revocare. Quod ſi urgere ejus publicationem pergeret nihilominùs, dare potiùs cervicem deberent Sacerdotes quàm id facere; qui ſe non minùs erga Principem ipſum, quàm erga Deum prævaricatores conſtituerent, ſi obtemperarent. Sed porrò abſurda hæc noſtra diſputatio eſt atque inutilis; quippe tam odioſæ quæſtionis cauſa & argumentum in Principe adeò pio, juſto, æquo, religioſo, nunquam locum ſunt habitura. In dubio autem de præcepto ſuperioris, ſitne juſtum vel injuſtum, judicandum eſſe pro

ipſo, obtemperandumque interim à ſubditis, certiſſima eſt apud Lovanienſes Theologos ſententia, propoſita centies quod ſciam ipſe & ampliùs, ac propugnata in Theſibus publicis.

Theol. Non caret mi Theophraſte, exceptione ea regula : ac præctereà poteſtas Eccleſiaſtica diſtincta à Laïca eſt, inque rebus ad religionem pertinentibus independens planèque abſoluta. Aliud eſt cùm de legibus præceptiſque merè politicis agitur, aliud cùm de Eccleſiaſticis, & quæ religionem ſpectent fidemque ac ejus diſciplinam : has firmas eſſe oportet, ac dubio planè omni carentes : Si non certò bonæ ſunt, malæ ſunt. Et quis fidat Religioni habenti regulas ancipites?

Med. Varia ſunt, de quibus ſtatuere æquo ferè jure ad utramque poteſtatem pertinet, quod ſanè non ignoras : ut qui ipſe, quum de matrimoniorum Impedimentis diſputaremus, hoc non ſemel aſſeruiſti.

Theol. Idipſum modò non reſpuo : ſed addo unà, hoc principium utcunque verum ac certum à Principibus ſecularibus hodie extendi immodicè in rem ſuam; ut adeò ejus obtentu in nulla non religionis negotia diſciplinæque ejus, ſe ingerant, non jam protectores ejus, ſed arbitri eſſe cupientes.

Med. Arbitri? abſit piaculum! Jam enim eò uſque non deſipiunt fideles, ut quemadmodùm Angli ſuos Reges, ita illi ſuos Principes fidei, religioniſque capita, agnoſcant.

Theol. Ad hanc uſque diem cordatiores quique ex Anglis de hac re erubeſcunt. Sed puderet eos neque eſſet commodum jam retrocedere. Apud nos, verum eſt, meliùs inſtructi ſunt noſtri homines, quàm ut tale quid ſuſtineant; meliùsque ſapit Princeps ipſe, quàm ut hoc conetur: ſed invaduntur ſæpè jura Cleri à Principibus, nihil minùs quàm hoc cogitantibus, & ſua duntaxat, ſibique propria vendicare credentibus. Quid ſi jubeat à Clero publicari in Eccleſiis ipſis contentioſiſſimum illud de Matrimoniis Edictum; Edictum, inquam, illud tam anceps, tam ſua novitate inviſum, & Eccleſiæ juribus fortaſſis contrarium? Quid ſi alia quædam publicanda ab illis proponat, quibus de Parochiis, de Paſtoribus, de Aris ac Templis, de Indulgentiis, de Jubilæis, de Confraternitatibus, de Seminariis, de Religioſorum Ordinum Statutis, de Theologia, denique ejuſdemque tradendi ratione, methodo, atque examinibus ſtatuat? Scio equidem, in rebus illis omnibus Principi mentem fore bonam ac rectam; ſed judicabit ſaltem pleraque ad ſe ſuumque tribunal minimè attinentia? Deinde quàm facilè non erratur, dum negotia tractamus aliena, ac de quibus parùm aut nihil novimus? Et quo modò de rebus ad Religionem pertinentibus rectè ſtatuant Principes, eorumque Conſiliarii, qui præter Juſtinianum, Puffendorffiumque, & qui de bello hiſtoriisque profanis tractant Auctores, ſæpe vix aliquid legêre?

Med. Non deſunt Principi noſtro Conſiliarii in nullo non ſcientiarum genere exercitatiſſimi, inter-

que eos Epiſcopi, Abbates, Eccleſiaſtici alii pii doctique: quorum luminibus, ſi velit, uti valeat; neque quin faciat, in plerisque ſaltem negotiis, ullus dubito.

Theol. Semper adſunt Principibus, è Clero quoque ipſo, qui ipſis adblandiantur.

Med. Redeamus ad propoſitum. Homines Eccleſiaſtici, utut ad curanda illa, quæ animarum ſunt, præcipuè deſtinentur, cives tamen eſſe ideò non deſinunt; ut non videam, cur illis injungi non queat ab ſeculari Principe legum à ſe creatarum facienda etiam in templo, publico videlicet loco maximèque ab omnibus frequentato, promulgatio; ſi modò iniquæ minimè ſint, neque pugnent cum vera Religione: quam ſi facere contemnant, aut negligant, inobedientes ſint, ac plecti meritò valeant. Quod verò gratis præſtare hoc jubentur, ideò eſt, quod, quemadmodum à te, meque, dictum eſt jamjam ſuperius, de neceſſariis ad vitam honeſtè ſuſtentandam ſubſidiis, ſit illis plerumque non ſufficienter modò, ſed etiam largiter proviſum, in hiſce ſaltem oris, in quibus nos degimus.

Theol. Nempe pejores jam faciunt Clericos, vilioresque, quàm Laïcos ipſos vel pagorum Rectores, qui dum diplomata publicant, affiguntque ſinè mercede bona minimè faciunt.

Med. His hæc aliaque id genus honoraria vitæ ſuſtentacula ſunt: Paſtoribus proſpectum aliunde eſt; & quod id operæ faciunt incompenſati non tam dedecori quàm honori illis vertetur; alioqui fortè

habendi, ùt è vulgo quiſque, pro mercenariis, qui tabellionum inſtar, præconumque publicorum vile aliquod ſtipendium reportent. Accedit, quod ex hujuſmodi promulgatione nullum captantes lucrum, tantò erunt ad obſtandum legibus novis, ſi fortè non omninò rectæ futuræ eſſent aut æquæ, alacriores liberioresque.

Theol. Miror quòd, neque baptizare, aut jungere matrimonio homines, tum & ſepelire, jubentur, nullâ retributione acceptâ.

Med. Saltem Miſſas dicere gratìs debuerant.

Theol. Nimirùm ad diætam medicam tu Clericos redigeres; ut præter panem & aquam vix etiam ſal illis ſuppeteret: refragante Scripturâ, quæ prohibuit obligare os bovi trituranti, mandavitque, ut qui altari inſervit, de eodem, & vivat. Verùm ut hoc etiam addam, tu ipſe probè nôſti, ſi quid accipit Clerus occaſione functionum ſacrarum, rerumque ſpiritualium, non accipere ceu earumdem pretium, ſed velut honorarium ac ſtipendium, unde vitam familiamque frugaliter alant, ac eleëmoſynas quoque, ſi quid ſupereſt, largiantur. Gratis diſpenſant res ſacras, quas gratìs accepêre; Operarii tamen, cùm ſint, digni utique ſua ſunt mercede. Vos Medici ac Chirurgi, circumforaneique agyrtæ, Helvetizantes, Caglioſtrizantes, Meſmerizantesque ſi vel urinam inſpicitis perſunctoriè, aut ſeceſſum, vel venam tetigiſtis obiter, ſcripſiſtisve voculam unam aut alteram vix legibilem in papyraceo fruſto non excedente volam manûs dimidiam;

immò ſi vel intrâſtis ad ægrotos, muti licet & ad momentum; aut itineri, ut inviſeretis, vos accinxiſtis, ſeu accingere cogitâſtis; ut omittam his etiam minora ac leviora; ſinè argento, quandoque etiam auro multo, non diſceditis, conjugibus graviores morte ipſa conjugum. Et nos Clerici, quorum munus, ùt altius, ſic difficilius eſt omnibus aliis, feramur indignè, ſi vel modicum, quid pro ſtipendio accipimus? Paſtoribus animarum currendum eſt diu noctuque poſt oves, per frigus & æſtum, pluviam, nivem, grandinem, ventum, pruinam; intrandum ad ægrotos omnis generis, divites, pauperes; mundos, immundos; nec intrandum tantùm, ſed manendum apud illos diutiùs ac ſæpe, ut Confeſſiones eorum audiant, inſtruant, Sacramenta adminiſtrent, ſolentur, ad mortem præparent obeundam piè ac chriſtianè, juvent atque animent in agone ipſo: & tu illis Cleroque reliquo nihil pro his laboribus omnibus ſudoribusque velis retribui, etiam in hoc mundo? Æquiorem te credideram, Theophraſte: tu noſtros ſaltem ex tuis æſtima.

Med. Miteſce, manſuetiſſime Valentine; miteſce: animum quippe gero erga Clerum liberaliorem, quàm ut egere illum velim. Et unde nobis Medicis optimè eſt, niſi à Clero & Nobilibus. Cucurri paullò ultra lineam, fateor; nec aliud tamen contendi ſuadere, quàm quòd Curatores animarum, ſeu Parochi, non habeant, cur conquerantur, indignenturque, neque quare ſibi putent fieri injuriam,

ſi aliunde ex ſui beneficii reditibus lautè ſat habiti, Edictorum Regiorum publicam prælectionem mandantur facere in templis, nullâ mercede acceptâ. Sed ecce dum ſic ſermocinantes, ambulantesque, ac penè altercantes ad vicinum templum propius accedimus non cogitantes, videor mihi videre ad ejus fores appenſam ingentem, neſcio quam, farraginem papyri.

Theol. Accedamus vicinius, inſpiciamus quid rei hoc ſit, ac legamus. Fors erit aliquid novi. Multus jam diu ſermo fuit de Confraternitatibus, quòd propediem eſſent abolendæ.

Med. Certè Edictum Principis eſt nuperrimè appenſum, atque illud ipſum, de quo ais.

Theol. Immò ipſiſſimum. Hui quot folia complectitur! Appendet illi ex latere alterum etiam, longè adhuc voluminoſius ac grandius. Non Edicta eſſe diceres, ſed codices: tam ſunt craſſa ac magna.

Med. Nimirum prolixius illud duplici idiomate conceptum eſt, Gallico & Flandrico; magnoque conſtat numero Articulorum.

Theol. Magno omninò; & ſunt præterea articuli minimè breves.

Med. Jam agnoſco quodnam illud Edictum ſit, & quale.

Theol. Illud videlicet, quod publicatum eſt ante dies non adeò multos, quodque à commercali

ſœdere ab Imperatore cum Moſcovitis inito, *Ruſſicum* jam vocant.

Med. A diebus duodecim, tredecimve vocatus ad Paſtorem N. N. ſum, uno hinc milliario cum dimidio adhabitantem, ac ſanguinis ſubitaneo ſputo penè extinctum ſuffocatumque. Ille ùt eſt impenſè addictus ſtudio bonarum artium & libris, ac præter hæc pectore debili ac delicatulo, quùm eo ipſo die Dominico quô prolixiſſimum Edictum legit, manè auditis plurimorum confeſſionibus, cantâſſet præthereà ſacrum, ſermonemque pro more habuiſſet ad populum; tantoperè ex vario hoc protractoque labore, atque ex Edicti præſertim publica altaque prælectione fuerat defatigatus, ut penè animam cum ſanguine evomuerit. Nunc habet multò meliùs; ſpeſque adeò eſt, futurum ut convaleſcat intra menſem unum vel alterum.

Theol. Eccur lectionem non diſparſiit in dies diverſos, aut non diſtulit in diem alium?

Med. Poſtquàm à Prætorum manu Edicta nova accepêre Paſtores, in Dominicum, feſtumve diem ſequentem facienda ab illis eorumdem publicatio eſt. Tametſi ſi ad dies aliquot ſubinde ex ratione differant eam, crimini non ſtatim vertitur. Dividere certè eorum lectionem longiorem alioqui futuram impedituramque conſueta in templo Officia, vel alteram partem manè, alteram à meridie prælegere, credo, minimè vetantur.

Theol. Vel ob hoc ſolùm, quod ea Edictorum

tum facienda à Paſtoribus publicatio incommodare illorum functionibus nata eſt, hanc Principis Sanctionem æqui bonique conſulere, certè laudare, nequaquam valeo. Illi ſi quando promulganda Edicta habebunt, conciones omittent, aut facient ſolitò breviores; peragentque, & reliqua quæ ſui muneris ſunt, tunc præcipitantiùs, Catechiſmos, Pſalmodiam, Cantum in Miſſa, &c. &c.... Parum autem eſſet quidem fortaſſis, ſi rarò hoc accideret; ſed quoniam hodie vix hebdomas dierum elabitur ſinè Edictis novis, fieri hoc natum eſt, non ſemel atque iterùm, ſed frequentiſſimè.

Med. Quod de Edictorum multitudine dicis, tam eſt verum, ut pridem, quùm rogaret quidam, quid novæ rei alter ſciret, ille reſponderit, eâ ſeptimanâ in ſuo municipio nullum Edictum novum fuiſſe promulgatum. Eam ob rationem Paſtores multi id rei præſtari jubent à ſuis Vicariis poſt matutinam, quam celebrant, Miſſam.

Theol. Eſt inter Paſtores nonnemo, qui ad hanc uſque diem nihil adhuc Edictorum publicavit.

Med. Non eſt in illum animadverſum?

Theol. Dies ei dictus eſt non ſemel, ſeu potiùs minæ in eum jactæ multiplices à prætore à regiis miniſtris; ille eas nihil veritus pergit porrò non publicare, paratus ſi omninò velit Princeps in carcerem etiam conjici, paneque nutriri & aquâ.

Med. Si non ſtultus eſt, inobediens eſt certè

F

ac refractarius. Hem martyrem novum, ſuoquemet Epiſcopo religioſiorem!

Theol. Credit ille bonam tueri cauſam, & fortè tuetur; nam ſic ſenſim ſecularis poteſtas in Eccleſiaſtica negotia ſe ingerit.

Med. Alios quoſdam ſcio, qui cùm negligentes in publicandis Edictis fuerint, non fecerunt impunè; mulctatos egregiè eaque ſuæ crumenæ eviſceratione redditos promptiores.

Theol. Sunt inter eos alii multi, qui, dum Reſcripta longiora ſunt, religioni minimè ducunt Articulos quoſdam aut tranſilire, aut enuntiare tantùm per compendium; quorum ego methodum probo, præſertim quando in iiſdem decernitur de rebus, quæ ad populi, cui præleguntur, uſum intelligentiamque parùm aut nihil faciant. Quidam & ſic prælegunt, ut non intelligantur. Alii quidquid ſibi diſplicuerit, omittunt. Verbô, tota ea res ridicula hucuſque eſt.

Med. Præcones ipſi potiùs ridiculos ſe præbent, dum ridere homines faciunt. Et nunquid non cenſentur prælegiſſe omnia, & ſi quædam nihil monentes, omittant? ridiculum effugium! Et coram Deo, ſi mala Edicta ſunt [quod Numen avertat;] nihil valiturum.

Theol. Si Edicta mala eſſent, promulganda non forent neque ex toto, neque ex parte, neque verbotenus, neque per compendium; Cæterùm ipſe quoquè verba nonnihil mutarem, ſi in illis fortè

ea quæ ad religionem pertinent, enuntiarentur non ſatis pro re accuratè, graviter, ac modeſtè : eaque ipſa de re ſubinde populum monere non omitterem.

Med. Quod modò ais ad præſens de Confraternitatibus Edictum hîc quoquè appenſum, applicari non inutiliter potuit : nam in eo, quùm decernitur veteres hujuſmodi omnes conſociationes, nullâ demptâ, poſthàc ceſſaturas, erigendamque aliam novam, quæ pro fine habitura ſit ſubſidium proximi, dicitur facilè ſexies, deſtinato, ùt videtur animo, vocabuloque ſpretim conquiſito, ac Latinè vix imitabili; eas abrogari, abolerique penitùs [*Vernietigt en afgeſchaft*] quod quidem, reor, potuerat, atque imò debuerat, enuntiari aliquantò moderatiùs, circumſpectiùs, honeſtiùſque.

Theol. Etſi fatendum eſt, Confraternitatum numerum poſtremis hiſce temporibus immodicè fuiſſe auctum, in eaſdemque ſenſim varios eoſque non diſſimulandos irrepſiſſe abuſus atque vitia; fuêre tamen pleræque earum inſtituto ſuo, principioque, ſummè utiles ac laudandæ. Nam ſcopus iiſdem non alius fuit, quàm ut fideles complures invicem veluti fœderati Sanctiorique vinculo atque arctiori colligati mutuis exemplis ſeſe, ac ſaluberrimis documentis, exercitationibuſque, ad pietatis eximia quædam opera excitarent, alterniſque adeò precibus, & operibus bonis, juvarent; & in ſtudio virtutis promoverent. Unaquæque enim religioſa Confraternitas hoc habet ſibi peculiare, ſeu potiùs om-

nes hoc habent commune, quod ſociorum ſinguli proponant juxta conſociationis inſtituta ac regulas actus quoſdam bonos frequentare, ad quos alioquin peragendos ſive omnino, ſive ea ratione ac tempore illi minimè tenerentur : quomodò uterque Sodalitati inſcripti ſumus DOCTRINÆ CHRISTIANÆ, à Pio V. Pont. Max. olim inſtitutæ, cujus finis ſcopuſque utiliſſimus eſt Doctrinæ Chriſtianæ in pueris indoctiſque hominibus notitiam, propagare in fide ac pietate eos inſtruere, bonis morum præceptis imbuere, rectam probamque educationem eis procurare, &c... Aliisque quoquè ejus generis ſocietatibus ſua utilitas non defuit; ut feram admodùm indignè atque gravatè vocabulum illud *afgeſchaft*, tam plenum contemtûs ac vilipendii, in eo de Confraternitatibus publico Edicto toties repeti, ac veluti ad oſtentationis, vituperiique augmentum produci. Sanè Edicti ipſe-met conſarcinator irreligioſus fatetur ultrò, eas ſocietates bonas initio fuiſſe, nec prorſus inutiles; ſed immò proximi & egenorum quoque ſubſidio & commodis non parum conducibiles; ut proinde pugnare videri poſſit in ſemetipſum verbo indecoro tam ſæpè uſus : *Vernietight en afgeſchaft.*

Med. Inſtituta quælibet, utcunque utilia ac bona initio, cum tempore, quæ humana miſeria eſt, à ſua puritate degenerant. Atque idipſum Confraternitatibus etiam accidit. Sunt earum pleræque inſtitutæ in honorem ac ſub titulo Sancti alicu-

jus vel Sanctæ : habent & nonnulla ſua ſymbola, chordulam, ſunem, cingulum, ſcapulare, Roſarium, coronam, numiſmata, icones; habent ſuas indulgentias ac privilegia; deſtinata quædam ſibi ſuoque uſui peculiariter altaria, ornamenta, tabulas, veſtes ſacras, lipſana, Miſſas, proceſſiones, officia, vexilla, ſupellectilem denique variam, auream, argenteam, &c..., habent tandem ſocietatum directores alicubi, vel etiam ſocii ipſi omnes, dies ſuos quibus conveniant, agitentque *Agapas*. In hæc autem omnia multiplicem irrepſiſſe abuſum, piorum doctorumque virorum antiqua querimonia eſt : ut agnoſcendum omninò ſit caſtigatrice manu hîc fuiſſe dudùm opus; nimiùm diſſimulantibus Epiſcopis, atque ea quæ Confraternitatum ſunt non ſatis curantibus.

Theol. Utinam hi majore hucuſque vigilantiâ fuiſſent uſi ſuper ſuis quiſque gregibus! Utinam depurando cultui, eradicandæque ſuperſtitioni incubuiſſent ſolicitiùs; non ad eas nunc redigeremur anguſtias ut ſæcularis poteſtas in omnia invaderet, ſusque deque verteret pro arbitrio.

Med. Atqui inter hæc omnia Epiſcopus nonnemo inter noſtros eſt, qui contendat vix aliquid eſſe quod emendatione opus habeat.....

Theol. Credo equidem, abuſuum, qui in Diœceſibus noſtratibus ſint, numerum, magnitudinemque, ab incontinentibus obtrectatricibusque linguis immodicè amplificari, cùm Paſtores noſtros conſtet

non indiligenter ſuis gregibus invigilare ; verùm quæ communitas eſt, quæ ſocietas, in quam nulla vitia irrepant, quâcunque licet vigilantiâ, curâque adhibitâ.

Med. Demonſtratum hoc egregiè eſt in libello, quem Auctor quidam Anonymus ante annos tres in Mechlinienſis Archiepiſcopi Epiſtolam Paſtoralem edidit, paullò quidem audaciùs, liberiùsque, non minùs tamen accuratè ac verè. (*)

Theol. Jam pridem cautum fuit à variis Synodis, ut ne Confraternitas aliqua religioſa inſtituatur abs-que venia Epiſcopi, utque ille, priuſquàm erigi permittat, ritè priùs ac maturè perpendat atque examinet, quæcunque ad illam pertineant; ſtatuta, privilegia, ritus; curetque prætereà, ne earumdem conventicula ſeu exercitia à parochialibus Eccleſiis, divinisque in iis Officiis ac Concionibus avocent ſocios, reliquosque fideles; ne indulgentias multiplicent, atque extendant, Amulctorum vim exaggerent, &c. &c.... Notum eſt autem, quàm in hac ſui muneris parte ſegnes ſe exhibuerint plerique Epiſcopi, quàm faciles atque indulgentes.

Med. Debuerant huic ſuo officio non defuiſſe. Confraternitates enim religioſæ, ùt experientia docuit, quantumvis piè ac ſanctè fuerint à majoribus ordinatæ, optimisque regulis ac legibus munitæ, nihilominùs ex illis rebus ſunt, quæ cum tempore

---

(*) Voyez *Obſervations ſur le Mandement de M. l'Archevêque de Malines, pour le Carême de* 1783; per totum.

abuſibus vitiisque multiplicibus vel maximè obnoxiæ ſunt, niſi Epiſcoporum vigil ſolicitudo & prudentia continuò iiſdem intendat.

Theol. Non ſatis debuerat fuiſſe illis, quòd anteceſſores fortaſſis ſui de Confraternitatibus, quùm primò inſtituerentur, cognoverint, eaſdemque examinaverint; ſed debuerant præterea iiſdem, jam dudum licèt inſtitutis atque probatis intendere; viſitare quoque illas earumque loca, ac luſtrare ſuis ipſis oculis nonnunquam, quæcunque in iis factitantur: quam Epiſcopis curam Synodus etiam Tridentina demandavit providiſſimo conſilio.

Med. Verùm quid illi agerent in locis, ùt vocant, *exemptis*? Illorumque præſertim hominum domibus ac templis, quibus vel Abbates præſunt ſeu Prælati, cum juriſdictione, quam dicunt *Quaſi-Epiſcopali*, vel in quibus Religioſi incolæ degunt privilegiis utentes ſpecialibus à Summis Pontificibus quondam obtentis, quibus Epiſcoporum ſuorum cognitionem recuſent, atque obedire ſe illorum mandàtis minimè debere dictitent, utpote altiori poteſtate ab illorum obſequio ſubſtractos?

Theol. Hic nempe Exemptionum poſtremis hiſce ſæculis ſupra modum auctarum fructus eſt, ſeu potiùs abuſus, manifeſtus; cui par eſſet apponi repagulum; ſed de hac re ſermo recurret aliàs. Nunc ſolùm addo, quantùm ad religioſas Confraternitates attinet, nullâ exemptione quâlicunque ſeu Diplomate quolibet Pontificio impediri poſſe Epiſco-

pos, quominùs eas viſitent, Tridentina Synodo [*] eam facultatem apertiſſimis verbis illis aſſerente: quomodò & ſentiunt Canoniſtæ meliores, Eſpenius, aliique, quomodò item hanc Synodi ſanctionem intelligit atque explicavit Barboſa in ſuis ad eandem collectaneis.

Med. Nunquam ſaltem hoc ſuo jure utuntur noſtrates Epiſcopi, metu an reverentiâ ſeu oſcitantiâ? neſcio; dum vitia interim gliſcunt atque augeſcunt, permiſſa ſibi.

Theol. Sed tu eadem quoque parumper exaggeras.

Med. Loquor ex animi ſententia, juxtaque ac res ipſæ reverà ſe habent. Sanè ſi ſeriò advertatur animus ad ea, quæ in variis Confraternitatibus actitantur, populoque per incautos Concionatores, rerumque ex inſtituto licèt piarum atque utilium immodicos amplificatores exaggeratoresque plenis buccis confidentiſſimè proponuntur ac promittuntur, non poteſt eſſe dubium cuiquam, variis nævis ſcatere earum pleraſque: dum & harum occaſione commeſſationibus anſa datur locusque, nec abeſt ſuſpicio quæſtûs atque lucri; & indulgentiarum pleni proponuntur cumuli.

Theol. Iterum dico, ac etiam etiamque affirmo: Epiſcoporum fuerat officium in hæc omnia ſedulò indagare, reſecare exceſſus, inſtruere imperitos, increpare temerarios, & caſtigare, docere uſum,

(*) Seſſ. 22. de Reform. C. 8.

tollere abuſum. Quod quoniam illi non fecêre, aut fecêre ſegniùs quàm oportuit, *hinc illæ lacrymæ*. Confraternitatum inprimis libellos fas fuerat ad examen vocare, qui paſſim vulgi manibus teruntur: non defuiſſent ibi bene multa, quæ, ùt ab indiſcretis, credulisque nimium, ac ſæpe ſuperſtitioſis indoctisque ſcribillatoribus ſunt profecta, ſic à regula quoque veritatis veræque pietatis aberrant, cenſoriâque adeò virgâ habentur digna.

Med. Idipſum quod nunc mones, legi aliquando apud Eſpenium; ſed ea jam dudum mente exciderant, niſi illorum memoriam oportunè mihi refricâſſes.

Theol. Libellorum id genus futilium, ac præter mendacia, quibus ſcatent, tantùm non ridiculorum, ingens eſt numerus; iiſdem ſcatent Provinciæ paſſim, nec eſt qui reprimat, Epiſcopis vix curantibus; immò eorum diſſeminatione rem religionis probè agi ac promoveri fortean credentibus. Religio noſtra ſancta eſt ac pura, fucumque quemlibet abhorret: atque adeò Epiſcoporum munus eſt minimè poſtremum curare & invigilare, ut ne aliquid libellis præſertim religioſis prodeat in publicum, quod ſuperſtitionem ſapiat alatve, ſive veritati ac ſimplicitati chriſtianæ, rectæque diſciplinæ adverſetur ſeu noceat quomodocunque, qualemcunque pietatis ſpeciem præ ſe illud ferat.

Med. Sæpe indignatus ſum, quùm viderem id genus libellos, ſæpe etiam ab Pontificibus maximis

Epiſcopisve prohibitos, circumferri paſſim ac legi, atque ab imperitis Cenſoribus approbari ad novos typos.

Theol. Communiſſimus ille abuſus eſt, & qui Acatholicis præſertim ſcandali plurimùm creët. Quanquàm & illis facilè eſt intelligere, non omnia quæ Catholicorum ſinguli faciunt, Eccleſiæ toti poſſe imputari, ſuperſtitionem ſcilicet quamlibet, ſtultamque credulitatem, ſuis Canonibus repudianti.

Med. Impoſſibile eſt Epiſcopis malo huic ex toto obviam ire, nihil jam non audentibus atque imprimentibus proprio marte Typographis; atque in ſimplicium hominum manus obtrudentibus. Quid non legimus de Confraternitate & uſu Roſarii per Lalaingium, Coppenſteinium, Henricium, Bouchontium, Meyerum, Leonardum, Alanum; de Simonis Stochii Bulla Sabbatina & Scapulari apud Stratium, Lezanam, Cyprianum à S. Maria, quorum aberrationes Launoyus, Papebrochiuſque tam maſculè exagitârunt; Quid non de Confraternitate Sſmæ. Trinitatis, ejuſque privilegiis ac indulgentiis apud Jennynium, cujus libellum etſi vel à Roma ipſa confixum non legi tantùm à pleriſque & porrò credi, verùm etiam in linguam tranſlatum vulgarem, foliolisque longioribus amplioribuſque impreſſum vel in templis nonnullis ipſis in tabula appenſum aliquando conſpexi! Quid denique de aliis multis apud alios? [*] Condemnat

[*] Vide hæc omnia in unum ferè congeſta cumulum apud Bert. Loth *de Caſibus Belgicis* Tractatu 22. *de Confraternitatibus*, & Tract. 20 *de Indulgentiis.*

ac rejicit falſitatem quamlibet Eccleſia, Indulgentias quoquè falſas ac ſupervacaneas ſub pœnis graviſſimis, [*] immò ſub comminatione Anathematis prohibet proponi ac publicari; Apocrypharum autem indulgentiarum nomine veniunt non eæ tantùm quæ manifeſtè falſæ ſunt ac ſuppoſititiæ, ſed incertæ quoquè ac dubiæ. [†] Quid verò in Confraternitatum plerarumque libellis communiùs, quam Indulgentias, privilegiaque venditare omnis generis, certa incerta, quæ adhuc vigeant, & quæ revocata pridem ſint; vera, falſa? &c. [‡] Quo-

---

[*] Voyez Collet, Traité Hiſtorique, Dogmatique & Pratique des Indulgences & du Jubilé, édition d'Avignon 1759. *in* 12°. tom. I. Chap. 8 §. IV, *des Indulgences apocryphes*... » Religioſis in virtute Sanctæ obedientiæ & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictius inhibemus, ne.... indulgentias pronuntient indiſcretas « *Clemens V. in Conc. Vienn. & habetur, Clementina 1 de Privilegiis.*

[†] » On appelle Indulgences apocryphes, celles-mêmes, qui ſans avoir des preuves marquées de ſuppoſition, ne peuvent être prouvées, ni par les Lettres Apoſtoliques, ni par aucun témoignage, qui puiſſe faire foi. « Collet ibid. Pag. 267. Idem pag. 301. » On appelle Indulgences Apocryphes celles qui, quoiqu'elles n'aient point des marques expreſſes de fauſſeté, ne peuvent ſe prouver, ni par des Lettres Apoſtoliques, ni par aucun témoignage authentique. « Vide & Theodor. à Spiritu S. de Indulg. Part. 2 p. 237.

(‡) » Il faut que la manie de ſe tromper ou de

tus autem quiſque Epiſcopus eſt, qui his omnibus intendat ſeriò, & petulantem credulitatem religionemque impotentem ſatagat compeſcere, aut, ſi maximè velit, in tanta præli, licentia valeat?

Theol. Quæ de Confraternitatibus earumque libellis ſcripſit Eſpenius acria ſunt admodùm, ſed tamen vera, potueruntque dediſſe Principi anſam eaſdem abolendi. Quid aïent modò facientque Monachi, quid Capellarum multarum Rectores, atque illi inprimis, in quorum Eccleſiis nullibi non aſſociationum id genus ſpiritualium aliqua aderat?

Med. Ferent haud dubiè indigniſſimè; neque impoſterum tantus ad eorum Eccleſias concurſus

---

» tromper les autres, ait regné long temps; puiſque » la Sacrée Congrégation a été obligée de ſupprimer » vingt fois des ſommaires, qui donnoient comme » certaines, des graces qui n'avoient ni été, ni pu » être accordées. « Collet ibid. p. 274.

» L'abus de publier des Indulgences fauſſes, douteuſes, indiſcrettes, étoit ſi grand dans le quatorzième ſiécle, qu'un Concile de Vienne fut » obligé de le réprimer en 1311 & qu'il voulut que » les Réguliers qui manqueroient en ce point, fuſſent ſoumis pendant deux mois aux peines les plus » rigoureuſes que puiſſent ſubir ceux, qui dans leurs » Ordres ſeroient coupables des plus grands excès. » Le Concile de Trente pour arrêter le mal plus » efficacement, défendit dans la 21me ſeſſion Ch. » 9. qu'on publiât aucunes nouvelles indulgences, » ſans qu'elles euſſent été examinées, par l'Evêque » & deux perſonnes de ſon Chapitre. " Idem ibid. pag. 267 & 268. &c.

erit populi, cujus bonam partem hoc fune ſibi devinctos habent, non ſinè ſua utilitate.

Theol. Hoc fatendum, Confraternitates, quæ in Regularium Eccleſiis Sacellisve eſſent, publicis ac neceſſariis parochialium Eccleſiarum Officiis paſſim nocere fuiſſe ſolitas; quippe quæ populum inde avocarent; quod tamen ne fieret, Mediolanenſis, Toloſana, Avenionenſis, Narbonenſis, aliæque Synodi, etiam noſtrates expreſſè adeò, ſeverèque inhibuerant.

Med. Quidquid ejus rei eſt; quùm Rectorum vitio qui hiſce ſocietatibus præfuerant, aliorumque, multoties acciderit, ut illæ de ſe licèt atque ex inſtituto ſuo laudabiles, populo non inutiles tantùm, ſed non rarò quoque noxiæ eſſent, occaſionemque præberent Acatholicis calumniandi Eccleſiam, quaſi ſalutem populi, totamque adeò pietatem in externis quibusdam ſignis ac religionis leviſſimis exercitiis poſitam crederet; quo tamen ab errore longiſſimè illa abeſt; conducibilis fortaſſis fuerit Eccleſiæ ipſi earumdem abrogatio. Quanquàm è re magis fuiſſet, ſi ipſi hoc feciſſent Epiſcopi, poteſtas nimirùm Eccleſiaſtica, quàm Princeps Magiſtratusve ſæcularis. Sed in manifeſtis abuſibus parùm refert, quis emendet; modò emendentur.

Theol. Tu credis parùm id referre, ego verò valdè multùm referre arbitror: tùm quia ſi Epiſcopi ipſi communibus conſiliis hanc feciſſent caſtigationem, minùs exoſa fuiſſet populo, utpote ſuis

à Paſtoribus profecta; tum quia altera poteſtas in alterius jura ac regimen nunquam debet invadere. Et verò quid diceret Princeps, ſi Clerus, quia & in regimine politico vitia non deſunt, ſuopte marte conſcriberet exercitus, diſſolveretve; deponeret Magiſtratus, inquireret in tribunalia, abrogaret leges veteres, crearet novas; verbô politicam reipublicæ adminiſtrationem uſurparet ſibi, quod emendare quoſdam forſitan exceſſus, abuſusque Magiſtratus legitimus, Princepsque adeò ipſe negligerent? *ſacra ſacris, profana profanis* : verbum vetus!

Med. Eccleſia in Republica eſt, non Reſpublica in Eccleſia, ac ſunt Catholici Principes Eccleſiæ protectores ac vindices, quorum eſt proinde, gliſcentibus in ea vitiis ire obviam, eademque ſi manifeſta ſint, Epiſcopique negligant, emendare, quantùm eſt in ipſis.

Theol. Verùm nunquid idcircò aboleri debebant Confraternitates omnes? An non multæ ſunt optimæ laudatiſſimæque, qualis illa eſt de inviſendis juvandisque ægrotis, de comitandis cum face ardente Sacroſanctis Myſteriis, dum deferuntur publicè, ſive in ſupplicationibus, ſive ad morituros atque decumbentes? *Qui nimiùm emungit*, ùt in Proverbio eſt, *ſanguinem* denique *elicit*; ita dum Princeps Confraternitatum quoſdam exceſſus reprimere cogitavit, violento nimis remedio uſus optima etiam inſtituta unà evertit, utiliſſimaque.

Med. Ita eſt, Valentine; ita eſt: ut mirum ſit Epiſcopos in promulgando acceptandoque hoc Edicto tam promptos fuiſſe atque obedientes.

Theol. Hâc ratione illi Diploma hoc *ſuum* fecêre, tametſi nonnulli in ejus publicatione cautelas adjici à Paſtoribus curavêre, planè ei contrarias.

Med. Utinam aliarum quoque Diœceſium Epiſcopi, ditioni noſtri Principis minimè licet ſubjectarum, ut adimatur populo rudi, vel ultra modum religioſo, ſuperſtitionis hæc quoque occaſio, Acatholicisque Eccleſiam calumniandi qualiscunque prætextus, munere tandem ſuo in hac parte fungantur.

Theol. Benè ſuades: nullibi enim non in hac re peccatur, quanquàm plerùmque non mala fide.

Med. Sed in religioſo cultu ea quoque reſecanda, quæ & ſi fiant animo minimè malo, immò recto atque ſincero, veritati (*) tamen, Eccleſiaſticisque regulis minimè conſona ſunt. Et quidem ut de hac re curarent Patres Tridentini rogârunt tum temporis ipſi-met Principes, quod legi adhuc nuperrimè

(*) „ Quantùm in religione ſtabilienda atque au„ genda, laboris ponendum eſt; tantùm in ſuper„ ſtitione ex hominum mentibus evellenda, curæ „ ac diligentiæ eſt impendendum." Concil. Prov. Mediolan. IV. ſub S. Carolo Borromæo, Cap. 4.

„ Verax ſemper eſt Eccleſiæ pro veritate defen„ ſio, nec umquam fuit indiga falſitatis" facundus Hermian. pro defenſ. trium Capitulorum Lib. V. Cap. I.

„ Poſt Deum veritas colenda eſt, quæ ſola homi„ nes Deo proximos facit." Martin. Dumienſis, aliàs Bracarenſis *Lib. de moribus.*

in libro (*), quem pridem accepi à cariſſimo mihi tibique, ac literatiſſimo Viro Petro Deckerio; cujus quidem lectione, quanquàm nonniſi excerpta quædam complectitur, præterquàm quod mirè fui delectatus, multum etiam luminis hauſi & notitiæ rerum, quibus ante carebam penitùs, & fortè caruiſſem alioqui ſemper. Si bene memini, titulus ejus incipit: *S. D. N. Papæ Innocentii XI. Decreta; &c.*, impreſſusque eſt *juxta Exemplaria Romana; ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ....*

Theol. Eſt ſanè ille libellus, in quo exhibetur

(*) „ Provideat Synodus (*Tridentina*) ut doceatur populus, quid de cultu Imaginum ſit ſentiendum, curetque ut ſi quæ in iis colendis irrepſerunt ſuperſtitiones & abuſus tollantur. Quod ipſum quoque provideat in INDULGENTIIS, peregrinationibus, Reliquiis SS., & in Sodalitatibus, quas vocant FRATERNITATES." *Petitiones Caroli IX.* Galliarum Regis Chriſtianiſſ. nomine factæ ab illuſtriſſ. Oratoribus in Concilio Tridentino juxta exemplar excuſum Ripæ an. M.D. LXIII. art. 19... Habetur in Libello, cui titulus: *S. D. N. Papæ Innocentii XI. Decreta, quibus interdicitur Officium Immaculatæ Conceptionis SSmæ. Virginis, & plurimæ Indulgentiæ abolentur. 2da Editio, cui acceſſit tùm uberior excerptorum* Συναγωγὴ, *tùm etiam Decretum S. R. Inquiſitionis, quo damnantur & extinguuntur Confraternitates Mancipiorum B. Virginis, & quidquid ad eas pertinet.* 1773. *in 8vo. Gallicè & Lat.*

Decre-

Decretum ſub nomine Innocentii Papæ XI. quo interdicitur Officium Immaculatæ Conceptionis; qui, neſcio, an non ſit prohibitus : quippe qui attribuat Innocentio Decretum, quod uni Capiſſucco, Magiſtro tunc S. Palatii adſcribi debuiſſe conſtet. [*]

Med. Utùt eſt, non pauca eo in Opuſculo reperi, lectu jucunda pariter & utilia. In eo de Confraternitatibus etiam multus eſt ſermo, earumdemque Symbolis atque exercitiis.

Theol. In Confraternitatum Symbolis ac exercitamentis nullam ſpem certam ſalutis eſſe poſitam conſtat, fatenturque Catholicorum quilibet paullò meliùs edocti : quanquàm aliunde, ſi quis rectè illis utatur, ſua non carent utilitate.

Med. At exaggerant ſæpe Concionatores illarum rerum vim, rudioreſque è fidelibus præ ſimplicitate & ignorantia majorem paſſim efficaciam in eis eſſe autumant, quàm reverà habeant, aut iis tribuere oporteat : nonnullis inde certam ſalutem expectantibus : unde naſcitur neglectus ſalutis, licentia peccandi, &c... de qua re multis Eſpenius, qui & Ægydii Carlerii Cameracenſis olim Decani verba profert, qui in oratione coram Patribus Concilii Baſileënſis habita poſtquam Con-

[*] Vide Collet ubi ſuprà P. 274. 275 & P. 300 & Seqq. & d'Avrigny *Mémoires Chronologiques & Dogmatiques tom. 3* P. 128; quod ipſum tamen opus quoquè prohibitum eſt; Decreto 1727. 2. 7bris.

fraternitatum inſtitutum rectumque finem contra Bohemos vindicavit, laudavitque, abuſus tamen in eas multiplices irrepſiſſe non dubitavit dicere apertè; addens „ non eſſe dubium, quin multa „ mala ſub hac ſpecie pietatis parentur; putà „ queſtus illiciti, deordinati favores, audacia pec- „ candi, & multa ſimilia. “ Quod hodieque conſpicere eſt in nonnullarum Confraternitatum libellis ampliſſimam ſalutem ſecuritatemque pollicentibus illis, qui hoc illudve ſignum ſive Symbolum ſodalitii geſtaverint, ac leviſſima quædam pietatis opera in honorem hujus illiuſve Sancti frequentaverint : quam *abominandam vanitatem ac ſuperſtitionem* vocavit Synodus I. Prov. Cameracenſis Tit. de Sanctis Cap. 6.

Theol. Jubet eadem Synodus, Tit. de Indulgent., ut Parochi populum ſuum „ diligenter ad- „ moneant, ne circumforaneis quibusdam, aut „ etiam impreſſis libellis temerè fidem adhibeant „ qui ex levibus, vanis & ſuperſtitioſis cauſis „ exorbitantes indulgentias pollicentur; cùm in- „ dulgentiæ non niſi ex piis & rationabilibus cau- „ ſis concedi debeant. “ Quod ipſum monet & Synodus Prov. I. Mechlinienſis de Indulg., etiamſi hujuſmodi libelli *etiam cum Privilegio* impreſſi fuerint, additque. „ Potiſſimùm ſi promiſ- „ ſiones contineant certorum effectuum, pericu- „ lorum ſcilicet evitationem, à gladiis, à tormen- „ tis, ab aquis, à peſte; aut liberationem certam „ à purgatorio : quemadmodùm & Miſſis quibuſ- „ dam, & precibus certo numero recitandis “

redarguitque eos, „ qui certo numero & præ-
„ ſcriptâ formâ Miſſarum vel precum affirmant
„ certas deſignataſque animas è purgatorio ſem-
„ per liberari. “ Quod & iiſdem verbis expreſ-
ſit, planèque reprobandum declaravit laudata mox
à te Synodus Cameracenſis. Liquet igitur hujuſ-
modi exceſſus nec defuiſſe olim, nec fortè deëſſe
hodieque; ſed numquam non ab Eccleſia fuiſſe
damnatos.

Med. An non ſæculo præterito exeunte Namur-
ci inventus nonnemo eſt, qui aſſereret, inque The-
ſibus publicis propugnandum proponeret; quòd
*Geſtatio Scapularis, Chordæve Sancti Fran-
ciſci, &c. etiam in iis qui gentiliter vivunt
ſit ſignum prædeſtinationis?* [*]

Theol. Non fuit audax, ſeu potius blaſphemus,
impunè, homò temerarius, confixaque anathemate
ejus propoſitio eſt. Equidem hodie neminem ſcio,
qui tale aliquid aſſerat aut teneat: & ſi aſſereret,
ſibilaretur ab omnibus, quotquot in noſtræ reli-
gionis principiis vel leviter ſunt inſtituti. Epiſco-
porum eſt inconditos harum rerum amplificatores
redarguere, punire; ſimplices, idiotas atque ho-
mines ultra modum religioſos inſtruere, erudire,
nimiamque confidentiam dedocere, ſive per ſeip-
ſos, dum pro ſuo munere Diœceſes ſuas circum-
eunt, Confraternitates earumdemque regulas, li-
bellos, privilegia, loca, luſtrant; inquiruntque de

(*) *Pentalogus Diaphoricus* Pag. 127 & 128.

Indulgentiis, &c. ſive per Decanos ſaltem Parochoſve, aut Religioſos quoſdam homines eruditoſque, ac talium rerum æquos æſtimatores, ad id operis ſpecialiter deputandos. Neque inutile foret, ſi Epiſcopi Paſtoralibus encycliciſque Literis, quid in hac re ſentiendum ſit; quid repudiandum, quid tenendum, aperirent. [*] Hæc ſi facerent, fieret profectò ut & populus de Confraternitatibus notionem veriorem acciperet, & non tam ingens farrago indulgentiarum, etiam pleniſſimarum, idque frequenter cum pollicitatione liberationis animarum è purgatorio ex leviſſimis cauſis venditaretur in libellis tot futiliſſimis; ac denique irridendi nos, ſugillandique exercitationes aliunde conducibiles piaſque anſa omnis Acatholicis eriperetur. Nunc autem dum aberrare nonnullos, ac præpoſtera credulitate pietateque teneri, parumque rectos id genus rerum æſtimatores adhibitoreſque conſpiciunt; hæc omnia Eccleſiæ ipſi imputant; quaſi ſingulorum errata ſuperſtitionemque illa probaret: cùm tamen nihil minùs quàm hoc faciat; nihilque optet ampliùs, quàm ut ſuperſtitio omnis evellatur ex animis, exercitiiſque fidelium; immò hominum quorumcunque; ſuuſque rebus ſingulis adſcribatur valor, qui ineſt; non major, ampliorve. Verùm enim verò quamdiu durabit mundus, erunt abuſus in rebus etiam, inſtitutiſque ſanctiſſimis utiliimiſque; ideò vigilan-

[*] Quemadmodùm fecêre Epiſcopi Salisburgenſis, Neoſtadienſis, Piſtorienſiſque.

dum continuò paſtoribus eſt, Epiſcopis in primis, ut gliſcenti nunquam non malo eatur obviam tempeſtivè, efficaciter atque oportunè.

Med. Habent Dominicani Societatem Roſarii, Franciſcani Portiunculam & Chordulam S. Franciſci, Eremitæ Auguſtiniani Collegium Corrigiatorum ſeu Zonæ S. Auguſtini, Carmelitani Bullæ Sabbatinæ ſeu Scapularis, Ordo SSmæ Trinitatis Scapulare alterum, aliæ Sodalitates Symbola alia: mirum autem quantam in hujuſmodi ſignis exercitiisque ſpem è rudi popello multi reponere conſueverint, dictitentque ignari nonnulli ineſſe reverà & conentur ſuadere; ut indignatus fuerim non ſemel, ac riſerim quoque nonnunquàm.

Theol. Harum rerum rectum uſum perpulchrè docet Rdſſimus Dnus Joes Neercaſſelius, Epiſcopus quondam Caſtorienſis, & Vicarius dum viveret Apoſtolicus in Partibus Hollandiæ, Vir miræ ac maſculæ pietatis, antiquique ævi ac zeli, in nunquàm ſatis laudato Opere *de Sanctorum cultu ac præcipuè Beatiſſimæ Virginis Mariæ*, ubi quoque oſtendit variis Paragraphis, in iiſdem multiplicem paſſim errorem committi, non ab ima tantùm plebecula, hominibusque laïcis, ſed à Clericis quoque ipſis, ac Monachis. Teſſeræ hujuſmodi nihil aliud ſunt quàm virtutis *Mnemozyna* ac incitamenta; indicia ſignaque Societatis cujus aliquis ſit; ut adeò oporteat ponere piétatem non in Symbolis ipſis, ſed in rebus operibusque bonis, in virtute ac charitate Dei proximique, ad quæ ſcilicet nos ex-

ſtimulant. Nec Deiparæ, nec Divi alii Divæve nudis mendacibusque ſignis delectantur aut honorantur; nec quærunt aut amant Geſtatores, Pictores, Pronuntiatoresve ſignorum ſuorum; ſed Factores, ſed Imitatores, vel ſaltem ſinceros Deſideratores illarum virtutum, quarum exempla ſe præbuêre, quibusque Deum coluêrunt, dum eſſent in vivis, & in quorum memoriam illiciumque Symbola iſta ſunt inſtituta: non tanquam Phylacteria eſſent egregiâ per ſe vi ad tuendum prædita. „ Qui aliter ſen„ tiunt, [*] ait Caſtorienſis; non ſentiunt ex re„ gula veritatis, ſed ex ſtultitia vanitatis; nec erga „ Divos devoti, ſed in colendis Divis ſunt ſuper„ ſtitioſi. Talis ne ſis, addit, portans in ore, aut „ pectore, aut lumbis ſigna virtutis Sanctorum, „ teſſeras ſacræ Societatis, porta & in pectore imi„ tationem virtutis eorum." Optima honorandorum Sanctorum ratio eſt imitatio illorum.

Med. Vix ulla Confraternitas celebrior eſt, communiorque quàm ſit illa Roſarii. Neſcio tamen, an vel centeſimus Confraternitatis Socius Roſarium legat, ùt oportet, neceſſariumque eſt Indulgentiis lucrandis.

(*) *De cultu Sanctorum*, Tract. I. §. LXIII. Vide & ibid. §§. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. item §. 18. Necnon Van Eſpen. *Jur. Eccl. Univ.* Part II. Tit. 37. Cap. 6. per totum, Fleury, *Diſt.* 8. *in Hiſt. Eccl.* §. XV., *Excerptorum Collectionem ad Innocentii XI. Decreta*, de quibus ſuperiùs, variis locis; &c.

Theol. Plerique rudes autumant ſufficere, ſi precationum certum numerum ad globulos recitent, ad ſingulas Salutationum Angelicarum decades oratione una dominica interpoſita, quin de myſteriis aliquid cogitent.

Med. Atqui tamen cum precum illarum recitatione myſteriorum vitæ Chriſti, humanæque Redemptionis conjungenda omninò meditatio eſt.

Theol. De hac re nemo eruditus dubitat, cùm vel ipſæ Breviarii noſtri Lectiones apertè hoc habeant. Aperio: prælegam.

Med. Auſculto.

Theol. Sic in iis habetur ad Dominicam I. intra Calendas Octobris, quando ejus celebramus Solemnitatem: „ Eſt autem Roſarium certa precandi „ formula, quâ quindecim Angelicarum Saluta-„ tionum decades, Oratione Dominica interjecta, „ diſtinguimus, & ad earum ſingulas totidem no-„ ſtræ reparationis myſteria pia meditatione recolimus;" eodemque modo Marianum Roſarium diffiniunt omnes; nemine de Myſteriorum recogitatione veluti parte Roſarii præcipua mentionem non faciente. [*]

Med. Ergò quoniam tali modo fieri debet Roſarii recitatio, & tamen paſſim ſic minimè fit, etiam

(*) Malvenda in Annalibus Ord. Præd. ad annum Chriſti 1215. Cap. 10. Bolland. ad diem 4. Aug. p. 423. Alii, qui de Roſario tractant, Scriptores omnes.

quàm publicè in Eccleſia aut alibi recitatur ab hujus Sodalitatis ſociis, conſequens eſt profectò illos Indulgentias ſodalitio huic proprias minimè lucrari. (*)

(*) Ut hoc clariùs conſtet certiùsque, en tibi R. P. Udalrici Reiſſii reſolutionem in Appendice ejus ſecunda ad R. P. Vincentii Patuzzi Inſtructionem circa doctrinam de Indulgentiis edit. Aug. Vindel. 1784. Cap. I Caſu II. pp. 262. & 263.

„ Bertha Roſarium ſæpiùs recitat, omiſſa medi„tatione Myſteriorum humanæ Redemptionis; eò „quòd haud rarò audiat in una, alterave Eccleſia „Roſarium publicè hoc modo recitari."

„ Q. An Bertha Indulgentias pro recitatione Ro„ſarii conceſſas obtineat?

„ Reſp. Negativè ex ſequente Decreto: *Cùm S. „Congregationi, Indulgentiis, ſacriſque Reli„quiis præpoſitæ P. Procurator generalis Ordi„nis Prædicatorum ſupplices preces porrexerit „pro declaratione dubii: An qui Sanctiſſimum „Roſarium B. V. M. recitant omiſſa meditatione „Myſteriorum humanæ Reparationis, & illorum „vice mortem ac cætera noviſſima, vel alia „pia, ac religioſa meditantur, Indulgentias à „Summis Pontificibus conceſſas pro recitatione „Roſarii lucrentur? S. Congregatio die 6. Au„guſti anno 1726. reſpondit: Non lucrari. Quam „S. Congregationis declarationem per me Secre„tarium SSmo Dno noſtro relatam Sanctitas Sua „benignè approbavit. Datum die 13. Aug. anno „1726. L. Card. Picus Præfectus. Raphaël Coſ„mus de Hieronimys Secretarius.* Conſule novum „Gazophilacium Roſarianum, Auguſtæ apud Riege„ros editum."

Parum enim eſt Orationum Dominicarum, Angelicarumque Salutationum illam ſeriem ad globulos numerumque ſervare, niſi altior quædam, nobiliorque, conſideratio acceſſerit.

Theol. Non deſunt tamen, qui recitationi meditationem adjungant, extantque ad juvandam eam praxim conſcripti impreſſique libelli; tametſi recitantium maxima pars omittit, ac precationum conſueto penſo decuſſo ſuam rem egregiè feciſſe autumant.

Med. Pium interim opus fecêre, etiam myſteriorum illâ cogitatione minimè adjunctâ; modò ne in certo illo precationum numero fiduciam ſuam reponant, neque Corollæ ipſi, ſeu globulis, vim aliquam ineſſe autument. [*]

Theol. Rectiſſimè hæc mones. Neſcio autem, unde fit, quod Roſariorum uſus rarior fiat indies; niſi fortè hoc evenit, quia, multiplicatis jam undique ſcholis, propagataque legendi arte, nemo non mavult è libris dicere preces alias atque alias, quàm ad nodoſum filum reciprocare orationes eaſdem, non ſinè tædio, ac divagatione mentis certiſſima penèque aſſidua. Quanquàm ſi myſteriorum adjungeretur meditatio, tantùm faſtidii minimè adeſſet.

Med. Solent & plerarumque Confraternitatum

(*) Abelly *Prat. de dévot.* p. 123. ap. Baillet *Vies des Saints*, édit. in fol. tom. 2. part. 2. p. 226. ad 15. Aug.

Socii in Proceſſionibus ſtatis diebus habendis ſtatuas Imaginesque Sanctorum illorum, quibus ſua Collegia ſpeciatim ſe addixêre, circumgeſtare, paſſim unà cum Corpore ipſo Dni. Quod vulgò fit ſolemniſſimè, magnâ pompâ, ſumptuoſo ornatu, cum cereis multis : ſtatuuntur & in mediis templis, vel in aris ipſis, ad certos dies. Imaginum illam unà cum SS. Myſteriis ſolemnem in ſupplicationibus circumgeſtationem nunquàm lubenter vidi; tametſi non ignoro Chriſtianum Lupum ex Eremitarum Ordine S. Auguſtini, Scriptorem eruditum ac percelebrem, editis etiam libris hunc uſum contra pleroſque alios vindicâſſe. [*]

Theol. Sunt Epiſcopi non pauci, qui eam imaginum Reliquiarumque SS. in eadem ipſa cum Sſmo Domini Corpore circumlationem in ſuis Eccleſiis inhibuêre. [†] Qua in re, meo quidem

---

(*) Vulgata à P. Wynantio inter cætera ejus Opuſcula poſthuma *Diſſertatio* eſt *de SSmi Sacramenti publica expoſitione & de ſacris Proceſſionibus, in quibus circumfertur cum ſacris Sanctorum Reliquiis & Imaginibus Venerabile Altaris Sacramentum.* Brux. 1690. *in* 4to.

[†] „ In ſolemni illa Proceſſione, in qua Sſ. Dni. „ Corpus per urbem religioſo cultu defertur, *ne Re-* „ *liquiæ illæ* ſed *illud ſolum*, ut *veteris* inſtituti, „ *Eccleſiæque Romanæ Matris conſuetudinis eſt*, „ pio religioſoque apparatu, ſolemnique celebritate „ feratur." S. Carolus in Conc. Mediol. IV. Parte 2. Cap. 4.

judicio, optimè illi fecêre: vellemque ut reliqui etiam Epiſcopi omnes id ipſum lege caverent. Quid enim ſtatuis cum tanto myſterio commune? Ut jam non dicam, imagines earumve ornamenta thecaſque Reliquiarum ſæpe ſæpiùs multò pretioſiora eſſe, quàm ipſa ſint Venerabilis Sacramenti repoſitoria; ut adeò illa, curioſi ſæpè magis quàm pii, populi oculos in ſe convertant, atque unà cum oculis animos ab eo quod præcipuum eſt abſtrahant: quæ rerum inverſio eſt minimè ferenda.

Med. Fit ſæpe è contrario, ut Sanctorum imagines deformes omninò ſint, & non tantùm non ſecundùm regulas artis, ſed nec veritatis aut decoris factæ, aut à vetuſtate ſituque ſint exeſæ: quò fit prætereà, ut riſum aliquando potiùs ac vilipendium, quàm bonos religioſoſque ſenſus pariant in animis intuentium. Sed & ſæpe ſic eas ornant, comuntque, ut profanis, quàm ſacris ſtatuis, videantur ſimiliores.

Theol. Cùm tamen & hoc ab Synodis, ratione que ipſa ſit vetitum [*].

Similiter Anno 1639. Synodus Namurc. ſtatuit: „Quando continget Venerabile Sacramentum deferri, nullæ aliæ Reliquiæ vel Imagines Sanctorum deferantur.... In die verò Patroni ſola ejus imago vel Reliquiæ deferantur." Videſis plura in hanc rem apud clariſſimum Eſpenium *Jur. Eccl. Univ.* Part. I. Tit. XVI. *de Cura Epiſcopali*, Cap. 12.

(*) „Imagines ſacras, ſæculariter comptas, nec

Med. Sed hæc aut ignorant, aut parùm curant Sodalitiorum plerique Socii.

Theol. Atqui non ignorare debebant, aut negligere, Paſtores ipſi, populi videlicet lumen ac duces: animadvertereque eos decebat præterea, inhibitum abs Tridentina eſſe Synodo, ut ne novæ Sanctorum Imagines in Templis collocentur, niſi ab Epiſcopis viſæ primùm ac probatæ. [*] Verùm & hoc malè hucuſque eſt obſervatum.

Med. Nunc fieri jubent illas Parochi, Eccleſiarumve ac Capellarum Œconomi pro arbitrio, homines nimirum rudes plerumque, ac ſacrarum rerum rituumque non admodùm periti: ſtatuuntque in Templis, ubi, & quomodò volunt, non adorationis quidem cauſâ (tam enim dementes ac ſtupidi nemo unus apud nos eſt) ſed tamen Religionis, illiusque crebrò præpoſteræ, aut ſupervacaneæ.

Theol. Sed modò curare hæc ipſa paullò ampliùs Epiſcopi incipiunt; ſpesque adeò eſt, futurum, ut cum tempore hac in parte accuratior ordinatiorque diſciplina teneatur.

„ in Templis, nec in Proceſſionibus tolerent Epiſ„ copi." Synodus Provinc. II. Mechlin. Tit. 14. Cap. 2.

(*) Concil. Trident. Seſſ. 25. *De Invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & ſacris Imaginibus.* ...., & Concilium Provinc. Mechlin. an. 1570. de Imaginibus, Cap. I. „ Neque poſthàc „ ulla Imago, aut Statua in Eccleſiam vel locum „ ſacrum recipiatur, niſi ab Epiſcopo admiſſa fuerit."

Med. Crede mihi: nimia laborantium, ægrotantiumque hominum in Statuis, Imaginibusque Sanctorum eorumque Reliquiis fiducia, Medicis quoque ipſis Chirurgis, ac Pharmacopolis non parumper nocet; pluribus è vulgò præſertim, à Sanctis potiùs eorumque ſignis, maximi ſi Thaumaturga ſunt, valetudinem ſuam exſpectantibus, quam à medicina.

Theol. Nunc denique prodis apertè, quur populi magnam illam ergà Sanctos eorumque Statuas Religionem non plurimùm probes, quòd adverſaria nempe eſt tuis compendiis.

Med. Sic meam curo utilitatem, ut litem interim veritati. Quid vetat ſtudere utrique? Quin & ea ægrotantium in Satuis Sanctorum, Imaginibusve aut Reliquiis, quæ miraculoſos etiam aliquando patrârint ſanationes confidentia ipſis ſæpè malè habentibus noxia eſt, ac lethalis: fit enim ut ſuâ hâc fiduciâ ſecuri occupatique penitùs remedia humana negligant interim, matureſcenteque malo ſuæ ipſiùs negligentiæ ac ſecuritatis victima fiant denique.

Theol. Accidit, fateor, hoc aliquando.

Med. Unum addam, quod, an tibi probabitur, neſcio.

Theol. Scilicet.

Med. Sæpè numerò vidi, ac fit ferè hebdomadatim in locis paſſim multis, tum & in mea quoque Parochia: ut circumlato expoſitove ad populi Vene-

rationem Corpore Dni, cantetur ſeu numeris muſicis, ſeu tono graviore ac protracto recitetur coram illo D. Virginis Litania, quam vocant Lauretana, ſeu preces quædam aliæ cum Divino illo Myſterio parùm aut nihil analogæ. Cogitavi autem crebrò apud me, ſed nunquàm aperui cuiquam, nunc verò aperio tibi alteri ſcilicet mihi; non quadrare hæc admodum inter ſe, rectiùsque fore & ad excitandam nutriendamque erga tantum Sacramentum fidem atque pietatem oportunius, ſi Canticis hujuſmodi omiſſis penitùs, contractisve, talia interim adhiberentur, quæ de propoſito Myſterio tractent apertiùs, aptiùsque. [*] Non ego reformatorem agere volo quidem, ſed tamen cogitationem tecum de hac re meam communico, probandam abs te, rejiciendamve, ùt videbitur.

Theol. Rectè cogitâſti, mi Theophraſte, nec eſt quòd ad tuas rationes aliquid adjiciam, niſi quòd ea ipſa conſuetudo, quæ tibi mihique diſplicet, ab aliis quoque nonnullis eruditis, piisque Viris improbatur; [†] quanquàm non ſic improbent quaſi

---

(*) „ Libenter adverto, quod in feſtivitatibus „ Sanctorum parùm convenit expoſitio Sacramenti, „ quia diverſus eſt cultus exhibendus S. Euchariſtiæ „ à cultu exhibendo Sanctis, & præſente Domino om„ nium Summo debet ceſſare Cultus Sanctorum." Franciſcus Biſſus in *Expoſit. Sacram.* Num. 232. §. 5.

(†) Vide Doctiſſimi Viri Joſephi Lauberi *Inſtitutiones Theologiæ Paſtoralis*, edit. Vienn. 1782. T. II.

mala ſit, ſed ceu minùs aptam ac convenientem. Quin auſim aſſerere plerarumque Synodorum Sanctionibus eam praxim non undiquaque congruere, atque adeò reprobari ex obliquo. Multæ enim ſtatuerunt, ut vel in Miſſâ ipſâ tempore Canonis ſeu Conſecrationis, conticeſcant (*) organa ac penitùs (†) canatur nihil dando altiſſimæ contemplationi

---

(*) Synod. Colon. an. 1651. Part. 2. Cap. 10. Num. 10.

Part. 4. Sect. 2. Cap. 2. Num. 268. *de expoſitione ſſmi Altaris Sacramenti*, ubi eam cantandarum coram expoſito Venerabili Litaniarum Marianarum conſuetudinem pluribus exagitat.

(†) » Les Conciles ont ordonné que durant le » temps de la Conſécration on adoreroit le S. Sa» crement le corps proſterné contre terre conſervant » un ſilence fort grand afin de donner lieu à la foy » de penſer mieux à un ſi grand Myſtère. Celui » de Cologne en 1536. *Proſtratis humi corporibus* » Celui d'Ausbourg en 1548. *In altiſſimo ſilentio* » *proſtratos.....* Ce n'eſt que depuis Louis XII. » que l'on chante à l'élévation du S. Sacrement. » Ce Prince ayant des ennemis à combattre de tous » côtez pria les Evêques de ſon Royaume de faire » chanter l'Antienne : *O ſalutaris hoſtia* après la » conſécration du S. Sacrement afin d'obtenir par » les prières de tous ſes ſujets un puiſſant ſecours » pour la defenſe de ſon Royaume.... Avant Louis » XII on ne chantoit rien depuis le commencement » du Canon de la Meſſe juſqu'au *Pater*. Tout le » monde eſtoit dans un ſilence de foy ; c'eſt-à-dire

ctio, ſignificandæque cauſâ profundiſſimæ adorationis ac reverentiæ; dum verò aliæ quædam concedunt, ut interim hymnorum aliquid cani valeat, hoc ſaltem cavent, monentque ſeriò, ut quæ canentur Myſterio conveniant, quod peragitur. (*) Idipſum ſtatuunt ut fiat, quando populi Venerationi expoſitum hoc Sacramentum eſt; tametſi, quod fateor, de Lauretana Litania diſertæ pleræque non loquantur, quod mirum non eſt; ùt quæ tum temporis in Eccleſiis necdum uſurparetur adeò communiter.

„ dans un étonnement de voir que Jéſus-Chriſt ſe „ rendoit préſent ſur l'Autel pour nôtre Sanctification." *Pratiques de Piété* §. X. Pag. 16. Quam„ vis permittat (Synodus Auguſtana) Antiphonas „ *AD SACRIFICIUM PERTINENTES* ſub „ elevatione decantari; rectè tamen ſubdit meliùs fore „ & veteri Eccleſiæ convenientiùs, præſentiam Do„ minici Corporis in altiſſimo ſilentio proſtratos ve„ nerari." Card. Bona Rev. Liturg. Lib. II. Cap. 13. N. 3. Vide & Paquot Mém. Litter. des Pays-Bas Tom. 12 edit. in 8°. Pag. 404. Note (*c*). Grimaud & Duranti apud. eund. Item *Directorium Eccleſiaſticæ diſciplinæ*, Colon. 1597. in 4to pag. 400. &c.

(*) „ Hymnos verò circa expoſitionem (ſſmi „ Sacramenti) ſeu Proceſſiones... *præcisè* ad Dei „ gloriam vel ſſmi Sacramenti exaltationem intonari „ mandamus." Synod. Varmienſis A°. 1726. Cap. XI apud Neiſſenum in *Concil. German.* Tom. X. P. 499.

Med. Id fortaſſis natum, aut valdè promotum, à Marianis Confraternitatibus, poſtremis hiſce ſeculis magno numero ubique in honorem D. Virginis erectis; quando & pomeridianæ illæ, quas vocamus, Laudes, originem ſuam accepêre; Veſperarum pſalmodiâ, in pagis ſaltem, diebus etiam ipſis Dominicis, abolitâ.

Theol. Non parùm quoque eum ritum promovêre Monachi ac Moniales Maricolæ, quos & deinde imitati ſunt Parochi plerique, vix aliqua, quod equidem ſciam, Synodo ita ordinante. Laudum, quas vocant, ritum jam quiſque ſtatuit pro arbitrio, aliis alias in iis preces recitantibus, cantantibusque; adeò ut Roſarium quoque alicubi in iis recitetur coram Venerabili, parùm certè pro Myſterio aptè.

Med. Optarent multi, (*) ut pro LAUDIBUS illis omnibus pomeridianis haberetur potiùs Concio ſeu Inſtructio familiaris, priſcusque ille Veſperarum cantandarum uſus reduceretur poſtliminiò : nam Venerabile Sacramentum noſtris hiſce diebus cre-

(*) „ Cette dévotion, ſi commune aujourd'hui, „ n'a guères qu'un ſiècle & demi d'ancienneté. „ On ne ſouffroit pas auparavant que le S. Sacre- „ ment demeurât expoſé en évidence ſur l'Autel ni „ ailleurs. Il ſeroit à ſouhaiter dans bien des en- „ droits que les fondations de ſaluts fuſſent chan- „ gées en fondations de catéchiſmes, ou de ſer- „ mons." Paquot ubi ſuprà Tom. 14. Pag. 424 Note (a).

brius quàm oporteat, deceatque exponi conqueſti jam dudum ſunt eruditi piique homines; ac rerum ſanctarum ſupra vulgum devotulosque æqui æſtimatores. (*)

Theol. In Gallia & Italia, ad quas Regiones iter aliquando inſtitui juvenis, rariſſimus expoſitionis uſus eſt; [†] rara item Divinorum Myſteriorum in ſupplicationibus circumgeſtatio. Hodie rei frequentia induxit vilipendium.

Med. Curabitur de hac etiam re, eruntque impoſterum id genus Proceſſiones infrequentiores. Brugenſis ſanè, Gandenſisque Epiſcopi jam inde in ſuis Diœceſibus modum illis poſuêre, ut nonniſi ter quaterve quot annis ullæ ſint habendæ, atque unica tantùm cum divino Sacramento, in feſto nimirùm die SSmi Corporis Dni. [§]

(*) Vide Thiers *Traité de l'expoſition du Saint Sacrement de* l'Autel, per totum : quem *librum videlicet optimum eſſe & pium & ab omnibus viris doctis atque eruditis approbatum* teſtatus eſt Card. Bona in Literis ad eum Auctorem datis 29 Aug. 1673.

(†) Proſper Lambertinus *Inſtitutionum Eccl.* Cap. 30. Thierſius item, Merbeſius, Juveninus, Eſpeniusque apud illum laudati.

(§) „ Sanctiſſimum utique Euchariſtiæ Sacramen-
„ tum piè & utiliter ad populi pietatem interdum
„ in publicis Proceſſionibus ac Supplicationibus,
„ potiſſimùm verò in Feſto ſacro Chriſti Corpori
„ propriè conſecrato & per ejus Octavam defertur

Theol. Hæc ſi tempeſtivè imitentur Epiſcopi reliqui, non erit metus, ne Princeps ipſe de ea re

---

„ ſed ne nimia frequentia debitam tanto Sacramento
„ minuat reverentiam, rariùs extra prædicta tempora
„ id fiat, & nonniſi in arduis cauſis pacis, aut
„ publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, ſeu aliàs de
„ licentia & conſenſu noſtro, noſtrive Vicarii in
„ ſpiritualibus Generalis, ſicut diſertè conſtitutum
„ eſt à Concilio Provinciali Colonienſi ſub *Nicolao*
„ *Cuſano*, S. R. Eccl. Card. ac de latere Legato,
„ *Theodorico* Archi-epiſcopo Colonienſi, Deceſſore
„ noſtro his verbis id comprobante: *Ad majorem*,
„ inquit, *honorem SSmi Sacramenti ſtatuimus*,
„ *quòd deinceps ipſum SSmum Sacramentum nul-*
„ *latenus viſibiliter in quibuſcunque Monſtrantiis*
„ *ponatur aut deferatur, niſi in Sſmo Feſto Cor-*
„ *poris Chriſti cum ſua Octava, & extra hujuſ-*
„ *modi Feſtum cum ſua Octava ſemel in anno*
„ *in qualibet civitate aut oppido ſeu parochia*,
„ *vel ex ſingulari indulto ordinarii, aut aliàs*
„ *pro pace, vel aliâ neceſſitate eminente, ex in-*
„ *diſpoſitione Rempublicam prægravante, & tunc*
„ *cum ſumma reverentia atque devotione.*"

Synodus Colon. 1651. Part. I. Cap. 4., ubi & ſtatuit, ut ne ullæ Sanctorum Imagines vel Reliquiæ unà cum Corpore Dni in ſupplicationibus circumferantur.... Adi & Epiſcoporum Gand. & Brug. noviſſimas de hac re Conſtitutiones, ac denique Synodos paſſim; nec non & Lambertinum ubi ſupra; quo loco & docet, Euchariſtiæ expoſitionem publicè haberi non poſſe etiam in Eccleſiis Regularium, utcunque exemptorum, ſinè facultate Epiſcopi & cauſa publica.

ſtatuat: quod alioquin ipſum certò certiùs facturum fama tulit diù. Et eſt porrò fatendum, Supplicationes hucuſque frequentiores fuiſſe quàm oporteat, ac vitio laborâſſe non uno.

Med. Attamen non deſunt multi, qui illorum hoc conſilium vituperantes, inſuper dictitent cum Cæſare illos facere, parumque eſſe religioſos. Quin & inter Epiſcopos noſtros ſunt quidam [ac minimùm, quod ſciam, unus] primique ille nominis, qui exemplum illorum neque laudent, neque imitari ſuſtineant, rati nimirum religioni hâc ratione, ac publico cultui, liberoque, ſe incommodaturos.

Theol. Quòd è vulgo, exque ipſo adeò Clero, multi in murmura querelasque eruperint ob mutatam in hac parte diſciplinam adverſùs optimos pientiſſimosque Antiſtites non equidem valdè miror: homines nempe plerique ex uſu vivunt eumque tenent pro regula ſacroſancta, religionem præſertim quod attinet; à qua diſcedere ne latum quidem unguem liceat, multòque minùs mutare; nullo videlicet diſcrimine facto fidem inter ac diſciplinam, inter uſum atque abuſum: & quaſi temporibus omnibus omnia congruant, zelum habent equidem, ſed qui non ſit ſecundùm ſcientiam, ùt loquitur Apoſtolus.

Med. Abolitis Confraternitatibus Proceſſionum numerus diminuetur ſpontè: illæ enim eas multiplicabant oppidò.

Theol. Scire aveo, quid ſit futurum de argen-

tea aureaque Confraternitatum, quà ſacra, quà profana, ſupellectile, de fundis earum reditibusque: ſunt enim inter eas multæ prædivites ac opulentæ.

Med. Pergamus legere Edictum; fors hac quoque de re reperietur in illo præſcriptum aliquid ab Auguſto Principe. Si fiſco ſuo ea omnia addicat, non evadet linguarum aculeos, neve exiſtimationem animi ad proprium quæſtum inhiantis omniaque convertentis.

Theol. Jam dudum hoc ſibi nomen vulgò acquiſivit Imperator, tum à pace cum Hollandis inita, tum à vindicatis arcæ religioſæ, ſeu potiùs crumenæ, ut aïunt, ſuæ Monaſteriorum plerorumque bonis. Sed hæc vulgaris calumnia eſt; cum illa omnia non in ſuum ſed religionis ac pauperum uſum pridem deſtinârit; ſecùs atque Moſcovitarum Imperatricem feciſſe fama eſt.

Med. Omnia, ùt lego, quæ ad Confraternitates ſpectârunt, ceſſura decernuntur in uſum pauperum atque orphanorum, non diſtribuenda quidem ſtatim per ſingulos, ſed applicanda menſæ, ùt vocant, Spiritûs Sancti; ut in futurum quoque tempus extendatur beneficium, nec emoriatur umquam.

Theol. Pauperes erunt ſemper: ſapientiſſimique adeò conſilii eſt præſidium ſubſidiumque illis quærere ac deſtinare, quod non expiret cum tempore, ſed creſcat imò ac augeatur productu continuo.

Med. Unam igitur maſſam deinceps conſtituent, & quæ jam olim ad pauperum menſam attinebant, & quæ pertinuêre aliquando ad Confraternitates abolitas, & quæ adjiciet adhuc poſtmodum fidelium pietas.

Theol. Unam hæc omnia maſſam conſtituent?

Med. Omninò unam.

Theol. Et quis eam curabit, diſpenſabitque?

Med. Homines ſcilicet ſæculares ad hoc nominati, Paſtoribus interim minimè neglectis. Nova ſcilicet Confraternitas inſtituta à Principe eſt in vicem abrogatarum, eaque nomen habitura ſuum ab amore proximi operante, ſub invocatione ac patrocinio Salvatoris Noſtri *Jeſu*: in qua quidem quotquot inſcribentur ſtipes, quas velint, largituri ſint effuſurique in manus directorum, diſtribuendas deinde ſumma fide iis, qui verè egeant, non deſidioſis illis hominibus mendicabulis, otio torpentibus atque ignaviâ, moleſtiſque inſuper ac moroſis; ſed pauperibus, qui laborem minimè fugiant, ſeu ad illum non apti aliena ope comperti fuerint reipsà indigere.

Theol. Ohe inventum ſalutare! ſi modò eventus reſponſurus eſt conatui, & dum curatur de egenis poſſeſſionibus civium nulla fiat injuria.

Med. Quælibet Parochia ſuam habebit Confraternitatem peculiarem, directoreſque ad hoc muneris ſpeciatim delectos; qui ne fraudare quidquam è pauperum bonis eleëmoſyniſque valeant

exactum ſingulos in annos dabunt computum, aliis quoque cautelis nonnullis adjectis, ut dolo cuicunque locus eſſe nullus queat.

Theol. Haud prorſus diſplicet mihi nova illa ſocietas, ad miſerorum, ùt quidem apparet, ſublevamen excogitata. At vereor, ne futuri ſint pauciſſimi, qui dare nomina illi volent. Nunc dat unuſquiſque ſtipem pro arbitrio, quomodò, quando, quantò, cui, vult; diſtribuitque ùt viſum eſt; dum contrà qui fundent in æraria novæ Confraternitatis hanc abs ſe libertatem abdicaturi ſunt, nec ſcient, cui quandove ſint quæ contulêre, inſervitura. Deinde anne credis perpetua ac ſibi ſemper conſtante integritate æraria hæc adminiſtranda? Per quas, quæſo, rimas pecunioſa fraus non intrat? Et quid facient indigentes aliena ope homines honeſti apud publicum nominis, qui ſuam olim egeſtatem atque inediam uni ſuo Paſtori manifeſtabant, à quo & juvabantur, nemine conſcio? Poſtremò amant noſtri homines Confraternitatibus inſcribi, quibus adnexa privilegia ſint, indulgentiæ, relaxationes pœnarum pœnitentialium, &c... Sodalitium verò hoc novum nihil habiturum eſt iſtiuſmodi; & ſi maximè vellet, non poſſet largiri Princeps.

Med. Statuitur in Edicto, Confraternitatem illam recentem, quantùm ad ſpiritualia attinet, ſubfore Epiſcopis, qui proinde decernere eatenus poterunt, quod ſibi fuerit viſum expedire. Quanquàm minimè ſuaderem, indulgentias ejus multi-

plicarent, nimia ſua multitudine noxias magis quàm utiles, ac jam hodie apud alios quidem parientes confidentiam ſecuritatemque immoderatam, apud alios ipſâ ſuâ copiâ venientes adductaſque in vilipendium. Nec dubitem, quin hæc quoquè ratio inter cæteras una ſit, quur Sodalitiorum ingentem illumnumerum pugno, ut ſic dicam, uno abrogaverit Imperator, nullo diſcrimine facto.

Theol. Nempe ille pro principio ſibi præſtituit illud: *Non proſit potiùs, ſi quid obeſſe poteſt.* Quo eodem principio quum aliquando uſus eſſet Steyartius, ut S. Scripturæ lectionem in lingua vulgari non facilè permittendam aſſereret, ab immortalis memoriæ Antonio Arnaldo ſtrenuè validèque depexus eſt. (*) Cæterùm perquàm durum profectò erit Confraternitates omnes antiquas uno veluti ictu videre exciſas, eam præſertim Sſmi Sacramenti, cui promovendæ ſtabiliendæque tantopere adlaboravit pientiſſimus olim ac Beatæ memoriæ Hubenus: videre item tot pientiſſima exercitia abrogata, tot aras vacantes, Sacramenta neglecta, &c...

Med. Oportet revocare in memoriam auream illam ſententiam Apoſtoli Pauli ad Romanos Cap. XIII. ℣. 8! *Qui diligit proximum legem implevit:* hæc una virtus reliquas omnes complectitur, neque utilior alia Confraternitas eſſe poteſt, quàm quæ amorem ſpectet ſubſidiumque proximi.

(*) Voyez *Difficultez propoſées à Mr. Steyaert*, Part. IV. Diff. 4°. pag. 95 & ſeqq.

Theol. At verò nunquid idcircò reliquas oportebat abolêre omnes? & ſi abolendæ erant, abolêre eas debuit Princeps auctoritate propria, nemineque agnito Epiſcoporum ſeu conſulto?

Med. Jam dixi non ſemel, non deëſſe Auguſto Principi inter Conſiliarios, quorum luminibus utitur, Theologos pereruditos ac pios, Abbates quoquè, quin & Epiſcopos ipſos: tametſi fateor cum his omnibus errare illum poſſe, ac fortaſſis errare reipsà: hac ſaltem in parte, quod præteritis ſingularum Diœceſium Epiſcopis, omnia præſcribit atque ordinat pro arbitrio: verumtamen arbitror, quando Imperator religioſa illa Sodalitia abrogata fore decrevit de externa eorum pompa, ſignisque publicis, de eorum reditibus, ærariis,... &c. potiſſimum intelligi: atque adeò idcirco non vetantur homines privatim eadem ipſa opera exercitiaque pia frequentare, qui volent: modò ne ad ritum priſtinum conventus habeant, Collegiave conſtituant; neu aras habeant ſibi proprias, indulgentias ſchematiſmis aut campanarum pulſu publicent, nec Miſſas ſupplicationeſve publicè ac ſeorſim habeant tanquam pro Confratribus Sodalitii; verbô, modò abſtineant ab ſolemni exercitatione, rituque publico. Hæc ſi omiſerint, perinde, reor, habebit Princeps, quid exercitiorum privatim agitent, adhibeantque fideles.

Theol. Nimirum ea libertate utemur in terra Catholica, quâ apud Anglos, Batavos, Suecos, Danos, fruuntur Orthodoxi; apud quas pariter,

gentes continere intra privatos parietes ſe fideles debent.

Med. Parùm abeſt, ut ſub Tyrannide nos degere pronunties; adeò ceremoniarum noſtrarum coarctationem, exercitiumque liberum extenuas. At ſcio in hyperbolicis enuntiationibus, ut teneatur veritas, ſufficere ſi centeſima pars veniat, recipiaturque, in computum.

Theol. An etiam *Gildæ*, quas vocant, cenſendæ ſunt unà abolitæ? Sodalitia enim & illa ſunt, ùt priora.

Med. Nequaquàm: Sodalitia ſunt quidem, ſed minimè ſacra. Quanquam ſpondere minimè velim, eandem ſortem cum prioribus non ſubitura.

Theol. Habent tamen & illa paſſim ſuos fundos ac reditus, unde ſodales ſtatis diebus ludant ac potitent. Habent & ſuas aras, atque imagines ſanctorum, à quibus nomina gerunt ſua.

Med. Et quidem nonne fateri mecum ipſe debes; quoniam ante hàc in Civitatibus præſertim, in una eademque Eccleſia Confraternitates ſæpe plurimæ aderant, quarum ſingula habebat aram ſibi propriam, adeò oppleri ſoluiſſe altaribus templa, columnis ſæpe ipſis tumultuario opere inficetè applicita, ut totam ſacræ domûs ſymmetriam turbarent? Hæc ubi fuerint locis ſuis mota, ſublataque, ordo erit in templis concinnior, ædificii facies auguſtior, locus continendæ multitudini inimpeditior, myſteriorum ab ararum raritate veneratio major, plebis ad irruendum obru-

endumque in medio ſui conſiſtentem, ùt fiebat quotidie, facientemque ſacerdotem ardor ac petulantia repreſſior. Et quo non ridiculo ornatu Confraternitatum ſocii aras ſuas onerabant, locupletabantque, ſuperbientes ſi vel ipſam ſummam principemque, in qua reconderetur divinum Sacramentum, ſuæ illæ opibus ſuperarent; quæ intoleranda erat æmulatio. [*]

Theol. Quis religionis ardorem juſtos intra terminos ſemper compeſcat, præſertim in communi fidelium vulgo? Indulgendum aliquid religioſis mentibus eſt, donec ſapere meliùs pertempus ipſum didicerint. Cæterùm dum pretioſam illam omnem ſupellectilem abripiet Imperator, ùtùt in pauperum uſum, quod ait, convertendam, quæ non

[*] Vide eruditiſſimum piiſſimumque Opus *Pratiques de Piété* Cap. 40. ubi demonſtrat; „ que „ c'eſt un grand déreglement dans le ſervice de „ Dieu de parer mieux une Egliſe, le jour du Pa„ tron, &c.. que le jour de Pàques, ou en la foi du „ S. Sacrement, où il démontre encore les deſor„ dres, qui arrivent au ſujet de ces parures ma„ gnifiques, & l'injure qui eſt faite à Jéſus-Chriſt „ en ces jours à cauſe de cette pompe extérieure, „ non reglée ſelon que les Canons l'ont ordonnée." Vide & Cap. 38., quo loco docet „ Que c'eſt éta„ blir un culte Juif, que de charger un Autel de „ tant de vaſes d'argent & de bijoux, & faire éga„ rer la foi du S. Sacrement que de faire une bou„ tique d'orféverie de l'Autel lorſque le S. Sacre„ ment eſt expoſé. " Pagg. 214.... 121. & ſeqq.

murmura, quas non querimonias, edent ſodales, vulgus, cives, Clerus?

Med. Querentur; ſed incaſsùm.

Theol. Gratias illas ſpirituales Confraternitatibus penè omnibus olim ab Antiſtitibus adnexas auferre ſaltem non valuit ſæcularis poteſtas.

Med. At Confraternitatum illarum priſtinarum abolitis impeditiſve publicis exercitiis, ſponte quoquè ceſſabunt iſtæ : eæ nimirum ſaltem, quas nemo niſi hæc ipſa publicè agitans lucrabatur.

Theol. Intelligo tua cogitata. Erant indulgentiæ quædam, aliæque gratiæ iſtiuſmodi, quas, ut quis lucraretur oportebat illum intereſſe ſeu Miſſæ ſpecialiter cantatæ, ſeu Concioni in eum uſum habitæ, ſeu Supplicationi cuidam peculiari, &c.... Hæc quoniam vetantur deinceps factitare ſodales, omittique jubentur mandato Principis, ceſſabunt quoque ex ea parte & quidem conſecutione manifeſta, priſtina illa privilegia.

Med. Totus ille Confraternitatum apparatus, tam ſplendidus ac ſumptuoſus, cereorum ille maxīmus numerus, & alia hujuſmodi, vix credas quantum pecuniæ deglutirent, in ſubſidia pauperum alioquin impendi debitæ. Et erat inter varia Confraternitatum Collegia hac in re veluti concertatio, quæ quam ſumptibus ac pretioſitate ſupellectilis vinceret; non ſinè ſodalium ſæpè domeſticis œconomicisque incommodis.

Theol. Alii alios religioſo apparatu conabantur ſuperare.

Med. Sed qui eleëmoſynas interim alioqui faciendas, ac proximi levamen, emunctis ad ſupervacaneam pompam oſtentationemque crumænis, impediret.

Theol. Nova hæc Sodalitas an Catholicis tantum Sociis, conſtabit? Etenim in Edicto de hac re nihil diſertè exprimitur, neque excluditur emo.

Med. Quantùm capio, Catholicis conſtabit duntaxat; tum quia erigenda eſt in Catholicorum templis, tum quòd, quantùm ad ſpiritualia ejus attinebit, jubentur decernere atque ordinare pro ſua quiſque Diœceſi Epiſcopi. Poterunt, ſi volent, Acatholici par aliquid inter ſuæ communionis homines factitare, religionis libertate pridem illis conceſſa. Quanquàm ſi ego Confraternitatis hujuſmodi apud Catholicos rector eſſem, offerretque ad ſublevamen Sodalium noſtrorum opimam ſtipem homo licèt Acatholicus, non recuſarem beneficium, mitteremque in corbonam haud ingratiis.

Theol. Lepidus homo es, ac cum multa benignitate humanitateque ſic facetus, ut cum nugis interim jocoque veritatem conjungas & candorem animi, quem in te laudavi, ſuſpexique ſemper. Ego ipſe, ùt tu, ab errante fratre pro egenis noſtris beneficium ultrò admitterem; ac ſi contrà rogaret, egeretve, ille, non negligerem juvare viciſſim. Juvandi fideles ſunt præferendique ante omnes, quidem, ſed non idcircò abjiciendi omninò qui à fide vera ſunt alieni. *Operemur bonum ad omnes*, in-

quit Apoſtolus [*], *maximè autem ad domeſticos fidei.* Acatholici fratres noſtri ſunt, quanquàm errantes: cum quibus quidem communionem habere non licet Societatemque in ſacris; non vetamur tamen exercere humanitatem, immò jubemur potiùs. Utinam ùt nos amare jam incipiunt, aut minùs odiſſe ſaltem, ſic quoque veritatem incipiant agnoſcere, redeantque ad fraternitatem illam ſuaviſſimam ac perfectam, quam pridem majores illorum deſeruêre, ut Confraternitas denique una ſit, animi illi uni, fides una, una pro pauperibus communis corbona!

Med. Lacrymas mihi exprimis, Valentine, hoc tuo voto, tam candidè ſincerèque enuntiato. Quis ſcit an in omni illa Decretorum ſuorum novorum ratione, id præcipuè animo non ſpectet Imperator? Certè Heterodoxi modica illa licèt plerarumque Confraternitatum exercitia, neſcio qua præjudicata opinione, mirè in nobis exoſa habent. Sunt quædam, quæ ſinè diſpendio religionis fideique dimittere omninò poſſumus. Quidni hoc faciamus, ut illos hac veluti humanitate caritateque officioſiſſima lucremur? Quid non fecêre Apoſtoli, ut Judæos Gentilesque in unum illud ovile, Eccleſiam inquam, adducerent? Paulus omnibus erat omnia: inter Judæos quùm eſſet, Judæorum frequentabat ritus, perinde atque ſi ipſe Judæus adhucdum fuiſſet: inter Gentiles autem ſervare eos prætermitte-

(*) Galat. C. 6. ℣. 10.

bat, cùm his ridiculi haberentur, immò exoſi, ac præterea morte Servatoris jam pridem fuiſſent aboliti. Hùc etiam ſpectat Apoſtolorum illud Decretum de Idolothytis, ſanguine & ſuffocato, quod in Jeroſolymitano Concilio abs ſe habito pro tempore tulêre. Quæ omnia ſupervacaneè profectò affero, utpote tibi, ſi cui alteri, notiſſima.

Theol. Quid ſi his omnibus conceſſis, ne tunc quidem redire ad unitatem volent? De dogmatibus certè relaxare nihil poſſumus, ut quæ ſuprà poteſtatem noſtram ſint, neque mutationem patiantur ullam. Atqui tamen in his eſt quod præcipuè diſtamus.

Med. Si ad noſtram illam indulgentiam nihil movendi ſunt, habeant ſibi. Sufficiet nobis concordiam quæſiſſe, palamque adeò fiet omnibus, per Catholicos non ſtare quominùs ineatur. Sed reor omninò, hâc viâ reddendos illos dociliores auſcultantioresque, depoſito vetere odio præjudiciiſque animorum : mihi enim crede ; plerique illorum diſciplinam magis noſtram certaque exercitia averſantur, quàm dogmata : rati nimirum idololatriam ſuperſtitionemque in pleriſque illarum rerum, aut multis ſaltem earum à nobis committi ; qua in re decipiuntur illi quidem & calumniantur nos enormiter : ſed Paulus ipſe dicebat, ſi ſcandalo futurum ſe ſciret alicui comedendo carnes, ſe non manducaturum illas in æternum. Si ſcandalizantur errantes noſtri fratres ex adiaphorarum quarumdam rerum apud nos uſu, quas ad religinois Catholicæ

ſubſtantiam minimè pertinere, atque in quas hinc inde nævos quoſdam irrepſiſſe ipſi nos ultrò agnoſcimus; concedamus hoc illis ut mutentur, emendentur, minuantur, aboleantur quoque, tanti boni, quantùm illorum converſio eſt atque ad Eccleſiam veram reductio, probabiliſſima ſpe. Nunc hoc ad Confraternitates pleraſque applica.

Theol. At illi cogitabunt, in his omnibus exercitiis fuiſſe à nobis hucuſque turpiter erratum, probaſſeque aliquando Eccleſiam Societates ritusque, qui probari debuerant nullo modo; credentque adeò illam errare certò certiùs poſſe propria noſtra Confeſſione [ſic enim concludent ex rebus hiſce abolitis] excuſationemque ex hac parte prætendent conflato olim abs ſe Schiſmati.

Med. Sint inter eos, qui ſic judicabunt; errabunt certè. Cordatiores ex illis, doctioresque, ſentient, quod ſentimus & nos : res hujuſmodi diſciplinares ſeu rituales pro varietate temporum mutari rectè & quoque utiliter poſſe, ſinè fidei aut religionis diſpendio, ùt olim mutata & abolita fuêre alia multa : Vigiliæ, Agapæ, Diaconiſſæ, Feſta, mulctæ Pœnitentiales : ſive emendata in Conciliis aut ab Epiſcopis : idque vel apud ipſos-met Acatholicos uſu venire. Quin potiùs intelligent hoc exemplo; quantopere deſideremus unitatem ſinemque hæreſeos ac ſchiſmatis, ut qui ultrò concedimus quidquid ſinè detrimento fidei ac neceſſariæ diſciplinæ poſſumus lucrandis fratribus. Cæteri quoque errorem falſamque illam ſuam perſuaſionem dedoceri

dedoceri poterunt editis ſuper novæ diſciplinæ hiſce capitibus mutationeque libris atque Apologiis.

Theol. S. Franciſcus Saleſius, ùt lego in ejus *Philothea* Parte 2. Cap. 15., nec non in Opere quod *Spiritus S. Franciſci Saleſii* inſcribitur XI. Cap. 6., ſuadere ſolitus erat pietatis amatoribus, ut in quibuſcunque poſſent, ſacris Confraternitatibus inſcribi ſe curarent, ſuadebat, inquam, veluti rem ad virtutem ſpiritualemque profectum ſummè conducibilem. Illene hoc ſuaſiſſet, ſi dignæ fuiſſent eo, quo modo habentur, vilipendio? Atqui Sanctorum hominum exempla ac monita pro regulis habere debent cæteri. Deinde quis ignorat, à nulla penè noſtrate, ſeu aliena Synodo non fuiſſe mandatum Parochis, ut in ſuis Eccleſiis, ſi quæ eſſent Confraternitates, ſedulò eas conſervarent; ſi non eſſent, erigerent? Non ignorabant nempe, optimum illas eſſe ad promovendam divinorum Sacramentorum frequentationem allectamentum, quod ipſa quoque experientia deinceps monſtravit.

Med. Saleſii tempore necdum erat tantus, tamque varius, Confraternitatum numerus, quantus poſtremis hiſce temporibus exſtitit: tum & in eas, quæ tunc fuêre, tot vitia necdum irrepſerant. Sed nec ego, ùt facilè nôſti, earum utilitatem omninò inficias eo, ſuadereque id unum volo, Religionem Catholicam ab earumdem abolitione non adeò magnum vulnus habituram: præſertim cùm fideles eadem ipſa Confraternitatum abolitarum exercitia frequentare non vetentur, ac prætereà altera quædam

I

non minùs utilis ſalutarisque ſocietas in vicem illarum ſit ſubſtituta; cujus inſtitutum quicunque obſervaverit, *Legem*, ùt Apoſtolus loquitur, *impleverit* [*].

Theol. Neſcio tamen, an vel centeſimus novæ huic Confraternitati inſcribi volet. Ego ſaltem, ut eidem inſcribar non adeò feſtinabo : quanquàm finem ejus optimùm eſſe non diffiteor. Differam tantiſper, donec quid de ea futurum ſit, certè liqueat donec item facere id potero ſinè meî contemptu atque deriſu.

Med. Ego inſcribi nomen meum faciam propediem, idem ipſum curaturus deleri, ubi Confraternitatem non bene procedere fortè conſpexero.

Theol. Hoc ſaltem habebimus commodi ab abrogatis Confraternitatibus, quòd quæſtores, qui colligere in earum uſum nummos per templa conſueverant, ſuis arculis, crepitaculisque, ac vocis vario murmure [†] orantes in illis nos, cæteroſque fideles non ampliùs moleſtabunt.

Med. Sæpè iis Collectoribus ſum indignatus, ſeptenis octonisque ſæpè numero ſe ſequentibus, alioque atque alio ſtrepitu & rogatione animi at-

---

(*) *Qui enim diligit proximum Legem implevit.* Ad Roman. Cap. 13. verſ. 8.

(†) *A l'honneur de la Ste. Vierge; à l'honneur de Ste. Barbe; à l'honneur de St. Nicolas; à l'honneur de St. Antoine. &c, &c....*

tentionem precantium turbantibus. Sed & ſenſim diſcent homines in Confraternitatum modicis illis exercitiis ſymbolisque non nimiam fiduciam conſtituere, quod aliquando illos feciſſe, atque etiamnum facere multos paullò ſuperiùs ipſe confitebare. Sanè accidit non rarò, quod ad Petrum Camuzium fertur aliquando dixiſſe mox laudatus abs te Saleſius ut perquàm devoti homines ſint atque unà nequiſſimi: quod quomodò ipſe explicaret, tu haud dubiè legeris in ejus *Spiritu* [*]; ego autem priſcorum Sodalitiorum pleriſque exercitamentis applico, non profectò extra propoſitum.

Theol. Numquid non prolixus hìc de Confraternitatibus ſermo, faſtidium tibi generat? alius quicunque jam penè moveret præ nauſea.

Med. Fateor pluſquàm ſatis iſthìc hæſimus ante fores ſacræ ædis, appenſumque ad eas de Sodalitiis Edictum; pergamus ulteriùs, dum favet aura.

Theol. Pergamus. Nam pedes mei à multa hac ſtatione penè plumbei effecti ſunt ac ſinè vita.

(*) Voyez l'*Eſprit de S. François de Sales*, édition d'Avignon 1775. Part. XI. Chap. 5., qui a pour titre: *On peut être dévot & fort méchant*, pag. 333. 334. & 335.

COLLOQUII TERTII

FINIS.

MENDA TYPOGRAPHICA

quæ habentur in priore horum Colloquiorum Parte corrigenda.

IN Monito Typographi ad Lectorem lineâ 7. valeant, Quod . . . . *lege* : valeant. Quod

Pag. IV.	*Lin.* 22.	*ſtaturus*	. . . *Corrige* . . .	*ſtatuturus*
V.	1.	*impetu non*		*impetu, non*
10	lin. ult.	Jeunir		Jeunin
13.	27.	accedit		accidit
16.	penult.	quæſitcribus		Quæſitoribus
17.	ult.	Gardecienſi		Gradicenſi
20.	6.	errores, quâ ûnâ ex re		errores; quâ vel unâ ex re
ibid.	26.	controverſiis obeundis		controverſiis, obeundis
21.	11.	prêſertim		præſertim
22.	1.	inquietis ſeditioſis		inquietis ac ſeditioſis
34.	23.	locatæque		locataque
38.	3.	invitant, excitantque		invitent, excitentque
45.	11.	& ſemper		ſemper
46.	7.	turbant		turbent
47.	5.	facultate		facilitate
49.	ult.	illarum		illorum
51.	6.	quavis		quamvis.
53.	10.	negarat		negaret
59.	6.	Muſceltelam		Muſcettulam
63.	17.	Theodotianum		Theodoſianum
ibid.	20.	velut ſanctiones		velut ad ſanctiones
67.	21.	primoribus Conciliis		Primoribus, Conciliis
69.	ult.	contraria		Contraria
73.	6.	*d'oppoſer*		*d'appoſer*
74.	4.	aux		aut
78.	16.	Muratori		Muratorii
80.	20.	morâ; poſſe		morâ, poſſe
81.	8.	id ſtudio		id facere ſtudio
ibid.	10.	recurarentque		recuperarentque
84.	3.	nimirùm quæque		nimirùm, quæque
88.	19.	ſe ſemper		ſemper
93.	28.	planæ		planè
96.	25.	deſiderabunt requiſiti matrimonii		deſiderabunt, requiſiti, matrimonii
99.	26.	factum		factam
102.	10.	diſpenſatione obtenta		diſpenſatione non obtenta
104.	20.	fidas		fides
107.	4.	illi, reor		illi: reor
109	penult.	*de pouvoir*		*du pouvoir*
112	24.	Duorum		Durum
116.	penult.	antiquitatis.		antiquatis
119.	9.	*quos contra*		*quod contra*
ibid.	23.	*Eccleſiaſticia*		*Eccleſiaſtica*
120.	6.	AB		AD
122.	5.	queſtione		quæſtione
124.	ult.	*Joannes, Pius*		*Joannes Pius,*